DISPUTATIO POLITICA INAUGURALIS

CONTINENS

HISTORIAM PACTORUM MERCATUS COMMERCII ET NAVIGATIONIS PATRIAE NOSTRAE CUM GALLIA,

AB INITIIS REIPUBLICAE AD EJUS INTERITUM,

Anno 1579-1806.

DISPUTATIO POLITICA INAUGURALIS

CONTINENS

HISTORIAM PACTORUM MERCATUS COMMERCII ET NAVIGATIONIS PATRIAE NOSTRAE CUM GALLIA, AB INITIIS REIPUBLICAE AD EJUS INTERITUM, ANNO 1579-1806,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JANI VAN DER HOEVEN,

MATH. MAG., PHIL. NAT. ET MED. DOCT. ET PROF. ORDIN.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

In Academia Lugduno-Batava,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

ENGELBERTUS ANTONIUS DE ROO,

DORDRACO-BATAVUS.

AD DIEM XXX JUNII MDCCCXLII, HORA I—II.

IN AUDITORIO MAJORI.

Lugduni-Batavorum,

APUD J. H. GEBHARD ET SOCIOS.

MDCCCXLII.

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

COGNATES

ET

AMICES.

Les documens qu'ont surtout besoin de consulter les manufacturiers, les négotians, les armateurs, les administrateurs, les juges des tribunaux de commerce, les hommes de loi, les agens chargés à l'étranger de protéger les intérêts de leurs nationaux, sont ceux qui doivent régler les rapports de commerce et de navigation de leurs pays avec les autres nations, et, dans certains cas, ce sont aussi les stipulations commerciales convenues entre les États étrangers.

HAUTERIVE.

INTROITUS.

Ab antiquis inde temporibus, mercaturam magnitudinis plurimarum civitatum causam fuisse historia docet. Etenim illa est, quae humanitatem promovit arctius vinculum inter ipsos populos contrahens, unde saepe consuetudo mitior, mores cultiores, quin etiam leges utilissimae exortae, quaeque non opulentam modo domi, sed potentem quoque foris rempublicam reddidit. Exempla sint Rhodiorum, Carthaginiensium civitas et inter novissima Belgarum respublica, quae ex parvis initiis ad summum gloriae fastigium pervenit et diu maximum momentum in rebus Europaeis dirimendis habuit. Nam Majores nostri in ipsa mercatura reipublicae vim esse sitam arbitrati, magnam operam dederunt, ut eam augerent, et toto pectore incubuerunt, ut ex illa commoda caperent, quae aliis populis invisa

plurimis bellis ansam praebuerunt, numquam fere compositis, nisi de mercatura esset cautum. In memoriam revocemus ea, quae cum urbibus Hanseaticis, cum Anglis de maris imperio gesta sunt, quum omnis salus in classe constabat et ingentes labores intenti sunt, ut illud imperium vindicaretur et vexilli honor servaretur.

Fundamentum igitur, quo civitatis splendor imprimis nitebatur, in ipsa mercatura quaerendum cum sit, per varias temporis mutationes ejus originem indagare, progressus persequi, effectus videre maximi sane momenti esse nemo inficias ibit; docet enim rationes pactorum cum exteris gentibus, bellorum praecipuas causas, et optima est dux in historia cognoscenda; unde opus profecto utilissimum esset, omnia enumerare, quae hac de re cum aliis gesta sint, quaeque magna pro parte in ipsis commercii et navigationis pactis continentur. Hic vero campus late pateret, in quo percurrendo multi vix anni sufficerent; quare, cum et mihi dissertatiunculam conscripturo tale argumentum et gratum et utile visum sit, de parte tantum agere mihi proposui, atque, commercii pacto nuperrime cum Gallis inito, non abs re duxi etiam in antiqua hujus generis vincula eo cum populo contracta inquirere (1). In qua

(1) De foederibus inter Angliam et Galliam seculis XVII et XVIII initis, egregiam disputationem scripsit Doct. G. R. VAN TUYL VAN SEROOSKERKEN. Hag. Com. 1839.

elaboranda materie, initium faciam a temporibus, quibus Belgarum nova respublica constituta est. Pactorum enim superioris aetatis multo minor fuit efficacitas (1), vel eorum loco Edictis res gerebatur, (2) quare, pactorum ab eo tempore originem et causam, eorum

(1) Antiquissimum de quo constat inter Gallos et Belgas foedus, anno 1296 inter PHILIPPUM Pulchrum et FLORENTINUM V comitem coaluit, ex quo utrimque licet in alterius regione naves, apparatus belli et quae ad victum pertineant emere [1]. Memoratur postea foedus Atribatense inter MAXIMILIANUM, qua Belgii Principem et LUDOVICUM XI Galliae regem, anno 1482 initum, quo in favorem subditorum liberum jus piscandi, navigandi, et mercaturam agendi conceditur [2]. Occurrit etiam pactum inter CAROLUM V Hispaniae regem, Belgarum Principem et FRANCISCUM I Galliae regem de nuptiis, de libera mercatura terra marique et de communi adversus hostes auxilio [3]. Orto vero bello, Principes interea de libera halecum piscatura utrimque civibus concedenda, inter se convenerunt et brevi post per pacem Cameracensem [4] anno 1524 initam, pacis Madritensis, quibus FRANCISCUS I stare recusaverat, conditiones de mutuo piscandi, navigandi, mercandi libertate confirmatae sunt [5]. Inter alia, quibus etiam de mercatura cautum, pertinet pax Castello Cameracensis (Chateau Cambresis) inter PHILIPPUM I Austriacum et HENRICUM III Galliae regem anno 1559 confecta, qua invicem navigare, emere, vendere, commercium facere licet et jus Albinatus (droit d'aubaine) extinguitur [6]. Quamnam vero vim foedera illa, in quantum perpetua constituerent commoda, post regem Hispaniae ejuratum, libera republica haberent, difficilis quaestio.

(2) Inter Edicta eminet lex navalis ab HENRICO III rege Galliae anno 1584 edita, cujus Art. 69 statuit: quod merces hostiles in navi amica repertae efficerent publicationem navis amicae cum onere

1 LUSAC Holl. Rijkd. 1. 210.
2 KLUIT Hist. Foed. 1. 157. DU MONT Corp. dipl. 3. 2. 100.
3 DU MONT o. l. 4. 1. 199.
4 KLUIT o. l. 1. 158.
5 KLUIT o. l. 1. 1. DU MONT o. l. 4. 2. 7.
6 DU MONT o. l. 5. 1. 34.

argumenta et effectus ordine exponere conabor; quo consilio, specimen in quatuor capita dividi, quorum primum agit:

A Foedere Trajectino ad pacem Monasteriensem (Munster) anno 1579—1648.

Alterum: A pace Monasteriense ad Risvicensem anno 1648—1697.

Tertium: A pace Risvicensi ad Aquisgranensem (Aken) anno 1697—1748.

Quartum: A pace Aquisgranensi ad interitum Belgarum reipublicae anno 1748—1806.

---

ex regula. »La robe d'ennemi confisque la marchandise et le vaisseau ami." Quae lex postea variis dissidiis et litibus locum praebuit, de quibus in ipsa foederum historia videbimus. Ceterum videatur lex illa celebris in opere: Recueil des anciennes lois Francaises. Tom. 19. pag. 556.

CAPUT PRIMUM.

PACTA MARITIMA ET RATIONES COMMERCII ET NAVIGATIONIS, QUAE PATRIAE NOSTRAE CUM GALLIA INTERCESSERUNT, AB INITIIS REIPUBLICAE AD PACEM MONASTERIENSEM, AB ANNO 1579—1648.

Per plurimos annos Majores nostri Hispanorum tyrannide premebantur, cum immanis eorum crudelitas et violata a rege populi jura, eos tandem ad privilegia defendenda incitarent, ex quo bellum illud celebre octoginta annorum ortum, quo parvus populus immensis viribus potentis regis restitit, et suo exemplo docuit quid valeant cives, qui pro juribus suis, pro aris et focis dimicent. Foedus inierunt Trajectinum, quo Septem Provinciae vinculum tam arctum contraxerunt, ut non nisi una videretur Provincia, quae viribus junctis Hispanos expelleret et patriam libera-

ret (1); quod verus fons est, e quo postea patriae libertas emanavit, et quo nisa, nova civitas victrix tandem e bello evasit. Interea vero magna imminebant pericula, saepe tanta, ut fortissimi de reipublicae salute desperarent; ac GUILIELMO I occiso, eo augustiarum, testante Grotio (2), deventum erat, ut vellent exteris regnis accrescere nec admitterentur: summum enim imperium Majores nostri HENRICO III regi Galliae et eo nolente, ELISABETHAE Angliae reginae obtulerant, qui ambo accipere quamvis recusantes, opibus et copiis Belgas sustentabant, ut hoc modo PHILIPPO obstarent, qui vi, qua antiquam religionem Catholicam conservare volebat, toti Europae imminebat, atque in ipsa Gallia bellum civile incitaverat, quo impedire conabatur, quominus HENRICUS IV in regnum succederet, qui tamen victor e bello domestico excedens, cum ELISABETHA et Provinciis unitis sexe conjunxit ad Hispanorum ambitionem cohibendam; unde foedus natum, quod imprimis Belgarum mercaturae favit, quae jam tunc temporis florebat (3), et per ipsum bellum maxime aucta est, quum Belgae qui antea merces ab Oriente a Lusitanis advectas, in urbe Lissabon emerant, belli necessitate coacti, ipsi ad Orientem navigarent, et Societates constituerent, quae mox ad summum splen-

(1) Vid. Art. 1. foed. 1579 Gr. Plc. B. 1. 7.
(2) GROT. Ann. 4. 88.
(3) Vid. LUSAC Holl. Rijkd. 1. 231 sqq.

dorem perveniebant, et mercaturam ad maximum fastidium provehebant. HENRICUS IV igitur, eos sibi amicos habere cupiens et sciens in ipsa mercatura praecipuam reipublicae vim esse sitam, plurima benificia Belgis concessit.

§ 1.

Foedus offensionis et auxilii inter HENRICUM IV *regem Galliae*, ELISABETHAM *Angliae reginam et* ORDINES GENERALES *Belgii Foederati die* 31 *Oct. anni* 1596 *Hagis initum* (1).

In hoc foedere invicem defensio mercatorum promittitur, dum ratione Belgarum, a duce de Bouillon, nomine regis, nonnulla de mercatura addita sint, quae constituunt: ut ad amicitiam conservandam et augendam et commercium promovendum (2), antiqua pacta et privilegia concessa confirmarentur, atque liceret navigare et mercari iisdem juribus ac ipsi indigenae, uti etiam vendere, emere, transportare omnes merces, nullis aliis solutis vectigalibus, quam faciunt incolae regionis, provinciae vel urbis ubi agatur (3).

---

(1) Vid. Foedus apud BOR, Ned. Oorl. 6. 33. 80. et DU MONT Corps dipl. 5. 1 531 et 537.

(2) Art. 7 et 8. verba sunt » omme te maintineren, conserveren, augmenteren ende te doen toenemen de vrundschappe ende te verzekeren de trafijken ende commercie.

(3) Art. 10.

Quod ad navigationem providetur: ne naves ad septentrionem missae, in Belgarum portus appellere vel merces vendere, cogerentur, quod neque obtineret, si tempestate coactae adveniant, quae eadem de Belgis ad Orientem vel Occidentem navigantibus, observarentur (1). Litterae represallorum (Lettres de marque ou de represailles) antea datae, nullam vim in posterum haberent (2), ac naves ab hoste captae ad eos pertinerent qui eas primum ceperint, quum ab utraque parte ad navigationem tuendam et contra Piratas muniendam cum aliis populis pacta inire liceret (3). Nullum erga Belgas Jus Albinatus (droit d'aubaine) Galli excercerent (4).

(1) Art. 15.
(2) Art. 14.
(3) Art. 12 et 13.
(4) Art. 11. » Daer sal oock tegen de ingezetenen der voorzeide Vereenigde Provincien in geene steden ende contreijen van Frankrijk worden in 't werk gesteld het regt van d'aubeigne."

De jure illo Albinatus, cum in omnibus commercii et navigationis pactis caveatur, nonnulla hic addere absque re non erit. Est nempe jus, quod fortasse a verbo Albino, (Elve) e Gallia originem habet et quo peregrini de bonis suis testari vel e testamento alterius capere vetantur ex regula: » Peregrinus liber vivit, servus moritur." De illo jam antiquissimis temporibus constat ac in foederibus agitur, uti in illo pacis Castello Cameracensis (Chateau Cambresis) anni 1559 et postea quocunque foedere de novo abolitum est, sicuti per Art. 11 foed. anni 1624, Art. 10 foed. anni 1627, Art. 23 pacti anni 1662, Art. 10 foed. anni 1678, per singulare edictum anni 1685, per Art. 15 pacti anni 1697, Art. 14 pacti anni 1713, Art. 37 pacti anni 1739. Iterum vero huic juri rex Galliae omnes, qui religionis causa e Gallia in Belgium aufugerant, subjecerat, quare Belgae jure retorsionis usi erant, ex edicto

Foedus illud, quod revera pactum maritimum dici nequit, probat Majores nostros summam impendisse operam, ut liberam in Galliam mercaturam haberent, quum praeterea in eo, futurae cum Gallis rationes commercii imprimis nituntur. Per illud enim eadem Belgis, ac ipsis indigenis privilegia conceduntur, quod commodum revera utilissimum postea impetrare, Belgae frustra conati sunt, cum Galli ipsi, quantum lucrum inde orietur, intelligerent, et vectigalia imponerent, ad quae tollenda nonnumquam irritam operam dederunt Belgae. — Nam id sibi Majores nostri semper propositum habuerunt, ne magis onerarentur, quam populus quocum contrahebant, ut hoc modo eos superarent, qui nec tanto navium numero utebantur, nec eandem diligentiam adhibebant, quod imprimis cum Gallis obtinuit, quibus suis navibus melius ordinatis, ingentem mercium copiam attulerunt et in hoc genere navigationis praesertim praecelluerunt, quo ab uno ad alterum regionis portum merces vehebant (1). Non

anni 1709, cum tandem separato pacto, die 23 Julii anni 1773, adhuc abrogatum est et postea die 6 Aug. anni 1790 et die 31 Aug. anni 1791 ab ipsis Gallis omnino extinctum, sed per novum Codicem Napoleonticum quodammodo restitutum Art. 11, quo tantum erga illos populos non exerceretur, qui ipsi quoad Gallos eo non uterentur. Breviter, hoc loco, de jure illo animadverti, quia in posterum de eo nullam mentionem faciam, quippe potius jus civile, quam pacta commercii et navigationis spectans; Vid. de jure illo diss. Doct. A. H. DE ROUVILLE ed. Lugd. Bat. 1835. — ubi ejus historia et jus ipsum Albinatus clare explicatur. Cf. etiam KLUIT Hist. foed. 2. 463.

(1) Hac de re vide LUSAC Holl. Rijkd. 1. 366. et 3. 350.

mirum igitur, postea ad hoc foedus saepe esse provocatum, cum privilegia concessa HENRICI successores diminuerant, ut hoc modo Galliae mercaturae faverent.

Brevi post foedus initum, anno 1598, pax Vervien sis inter Galliam et Hispaniam coaluit, qua, quamvis HENRICUS, se regis hostibus non fauturum, promiserat (1) tamen Belgis, de pace separatim inita, quaerentibus, auxilium tulit et auctoritatem interposuit ad pacem promovendam; quare propter diffidentiam inter populos bellantes, cum Provinciis unitis 23 Januar. anni 1608 Hagis foedus iniit post pacem valiturum (2), quo Art. 10, quae per Art. 8 foederis 1596 de mercatura erant statuta, confirmavit. HENRICO IV occiso, priora pacta a filio ejus LUDOVICO XIII roborata sunt ac plurima nova, duce de Richelieu, inita ad Austriacorum potestatem frangendam et imperium evertendum, in quibus, ac praesertim in pacto 10 Junii anni 1624, libera Belgis permissa mercatura, donec de illa melius provisum foret, cum ex Art. 6 naves a piratis captae, in portum socii advenientes, restituerentur (3). Duravit foedus illud ad annum 1627, quo tempore Parisiis renovatum est et plurima addita imprimis ad Hispanorum fraudem cohibendam.

(1) Vide Art. 2. foed. apud BOR o. l. 6. 35. 20-22.
(2) DU MONT o. l. 5. 2. 89.
(3) DU MONT o. l. 5. 2. 461. et AITZEMA Saeken van staet en oorlogh 1. 4. 718.

§ 2.

Foedus auxilii inter LUDOVICUM XIII *regem Galliae et* ORDINES GENERALES *Belgii Foederati, Parisiis initum die* 28 *Augusti anni* 1627 (1).

Congruunt in illo foedere inter se Art. 5 et 6 foed. anni 1624. Art. 12 et 10 foed. anni 1608, Art. 11 et 14 foed. 1596, cum praeterea ex Art. 14 et 15, naves hostiles, a quibus contrahentes sint spoliati, liceat persequi ad jactum tormenti (kanonschot) a portu alterius; quo si intraverint, capti solvantur ac merces reddantur. Non autem hostibus permittitur naves amicas adgredi, nisi 24 horas postquam egressae sint e portu, alioquin ad restitutionem per represallas cogentur.

Adduntur etiam foedere nonnulla (2), ex quibus Belgis, in nonnullis Galliae urbibus, civem Belgicum designare licet, cui facultas datur perquisitionibus navium adesse et litteras dare de mercibus, quae invehuntur vel exportantur, ut hoc modo provideatur casui, quo Hispani bona et merces captas nomine Gallorum repetant (3); quum, quod ad jurisdictionem jubetur ut tantum judicibus Archithalassicis (les commissaires de

(1) DU MONT o. l. 5. 2. 523. AITZ. o. l. 3. 10. 69.

(2) Articles separés arrêtés a St. Germain en Laye 16 Novembre 1629. Vide DU MONT o. l. 5. 2. 523.

(3) Qui (les Espagnols) trouvent moyen de faire vendiquer les dites prises par des Francais qui prètent leurs noms aux dits Espagnols cet.

l'Amirauté), non vero illis qui vocantur: de la table de Marbre, permitteretur de omnibus rebus Belgarum commercium spectantibus, sententiam ferre (1).

Foederis illius in novem annos initi, nullus omnino effectus fuit, quippe non confirmati, Belgis timentibus, ne rex eos ad auxilium contra Anglos praestandum cogeret. Novum tamen 17 Junii anni 1630 coaluit Hagis (2), ad quod de Richelieu, praesertim propter fortunam GUSTAVI ADOLPHI contra Austriacos incitatus est, quodque fere verbotenus cum foedere anni 1627 convenit; quae omnia postea per Articulum 10 foederis 1634 confirmata sunt (3).

Bellum inter Gallos et Hispanos, brevi post exortum est, quod, quamvis varia pacta cum nostra republica pepererit, mercaturae et navigationi maximum detrimentum attulit, cum naves Belgicae multum belli apparatum et merces vetitas Hispanis advehentes (4), a Gallis caperentur ex Art. 42 et 43 Edicti navalis anni 1543, et ex Art. 69 et 70 illius anni 1584 (5), per quos statutum erat, ut quaeque navis, etiamsi amica, merces hostiles vehens cum mercede publicaretur ex vulgari regula: »La robe d'ennemi confisque celle d'ami",

(1) Art. 7.
(2) DU MONT o. l. 5. 2. 605.
(3) DU MONT o. l. 6. 1. 82.
(4) KLUIT Hist. foed. 1. 243.
(5) Vide Edictum FRANCISCI I Febr. anni 1543 et HENRICI III, Martii anni 1584 in op. Recueil Gern. des anc. lois Franc. Tom. 12, p. 865 et Tom. 14 p. 556.

quod effecit, ut inter parvum tempus plurimae naves, praesertim in mari Mediterraneo, publicarentur (1); unde multae querelae, quas componere Cardinalis DE MAZARIN decrevit, ut sic sibi Belgas magis amicos haberet et eos quasi beneficio impediret, ne pacem separatim cum Hispanis inirent. Coaluit igitur die 18 Aprilis anni 1646 pactum, quod observaretur per quadriennium, dum interea melius et magis amplum conficeretur (2).

§ 3.

Pactum commercii et navigationis inter LUDOVICUM XIV *regem Galliae et* ORDINES GENERALES *Belgii foederati die* 11 *Aprilis anni* 1646 *initum* (3).

Duabus de rebus hoc in foedere imprimis agitur, quarum una legem navalem anni 1584 spectat, altera, modum, quo naves mercatoriae armatis obviam venientes perquirerentur.

Quod ad primam providetur: ut Art. 69 et 70 edicti navalis in quadriennium suspenderentur hoc modo, ut liberae essent naves munitae litteris praefecti maritimi (patente de l'Amiral), etiamsi veherent merces hostiles, dummodo non vetita (contrebandes), sicuti arma vel

(1) Rem narrat AITZEMA o. l. 6. 26. 270. dicens: Men wees aan dat daer sedert weynigen tijd, wel zes en twintig Hollandsche schepen waren bij de Franschen aangehaeld, die meest ofte geconfisqueert ofte seer geincommodeert werden.

(2) En attendant le réglement, qui doit être fait. Vide Art. 2 et 3. foed.

(3) AITZEMA o. l. 6. 26. 270. DU MONT o. l. 6. 1. 342.

milites, vel quae bello inserviunt, vel quae ad victum pertinent in locos obsessos. Prohibetur porro, arma vel naves hostibus praestare; quod si fieret, navigia, apparatus, merces publicarentur (1); ac si praeda in hostium potestate redacta, intra bis viginti quatuor horas recuperaretur, socio restitueretur, non tantum intra viginti quatuor horas, ut jubebat Art. 16 edicti (2).

Quod ad alteram constituitur: ut naves mercatoriae bellicis occurrentes, in mari alto, vel ad oras peregrinas, demisso vexillo, non vero velis, quod requirebatur in edicto, facultatem darent, tribus viris, a nave armata ad jactum tormenti accedente, missis, visendi litteras apertas et liberi commeatus, (passeports ou patentes) e quibus de onere appareret, nulla perquisitione habita, nullaque pecuniâ solutâ, nomine donationis vel praemii (salaires, vacations et présents), salvo jure regis in portubus Galliae; utque omnis vis prohiberetur, Praefecti navium cautionem 12000 librarum praestare cogerentur, e quibus damna resarcirentur (3). Quae omnia mutuo fierent (4).

Ex hocce foedere apparet, Belgas multorum onerum fuisse immunes, quibus alii populi premebantur; cum illud imprimis rigoris edicti anni 1584 diminutionem spectat, quod sane maxime profuit, cum hoc

---

(1) Vid. Art. 1 et 2.
(2) Art. 5.
(3) Art. 3 et 4.
(4) Art. 7.

modo, merces Hispanorum in Galliam afferre liceret, quod ipsi Galli non poterant; unde insigne lucrum Belgis exortum, qui jam tunc temporis magnam mercaturam gerebant et in eam toto pectore incumbebant. Nullum tamen, quod jure navigationis et commercii pactum dici potest adhuc coaluit, cum omnia ex antiquis Edictis et legibus regerentur, a quibus non recessum est, nisi per pactum memoratum, quod tantummodo in quadriennium vigeret, intra quod tempus novum conficeretur, tandem quatuordecim annis post initum. Regula igitur adhuc valuit: »La robe d'ennemi confisque celle d'ami", quae modo diu post abrogata est.

Attamen certa jam quaedam principia, hac aetate, constituta sunt, quae etiam postea invaluerunt et ad jus gentium Europaeum pertinere coeperunt: Praecipue sunt sequentes:

Tempore pacis: Licet omnia, nisi prohibita, afferre. Non coguntur Nauarchae onera sua inviti deponere. Litterae represallorum antea datae nullae sunt. De litibus ortis dijudicant judices Archithalassici.

Tempore belli: Naves mercatoriae sese perquisitioni navium armatarum subjiciunt. Non licet arma hostibus vel, quae ad victum pertinent in locos obsessos adferre. Licet spoliatis persequi hostem ad jactum tormenti a portu socii. Quae hostes ceperunt, modo inter bis viginti quatuor horas recuperentur, sociis restituuntur.

CAPUT SECUNDUM.

PACTA MARITIMA ET RATIONES COMMERCII ET NAVIGATIONIS QUAE PATRIAE NOSTRAE CUM GALLIA INTERCESSERUNT, A PACE MONASTERIENSI AD RISVICENSEM AB ANNO 1648—1697.

Pacem Monasteriensem inter regem Hispaniae et Belgas separatim initam, LUDOVICUS XIV tam aegre tulit, ut legatum suum statim revocaret, qui Provinciis unitis ingratum animum objiciens, iis vindictam regis minatus est (1), de qua profecto non diu post apparuit, cum jam sequenti anno invectionem mercium manufabricatarum (manufactures), quam HENRICUS IV permiserat, rex Galliae prohibuerit (2) et die 1 Febr. anni 1650 edictum, quo antiquae leges anni 1543 et 1584 confirmabantur, promulgavit (3), quibus commoti Or-

(1) AITZEMA o. l. 6. 28. 529. Vide etiam apud WAGENAAR Vad. Gesch. 11. 485. quomodo et quibus argumentis Provinciae sese defendebant.

(2) Vide WAGENAAR Vad. Gesch. 12. 6.

(3) Declaration portant réglement sur le faict de la navigation cet. Art. 14. Vide; Recueil des anc. lois Franc. 17. 194.

dines Generales legatum BORREEL miserunt, qui, cum tempus, per pactum anni 1646 statutum, praeteriisset, illud renovaret vel, exceptionem a rege impetraret (1). Ille operam quidem dedit, sed nihil effecit cum quotidie novae querelae de Gallorum depraedationibus audirentur (2); naves enim armatae regis mercatorias reipublicae interea publicabant, ita, ut initio anni 1651 Amstelaedamenses inde damnum $7\frac{1}{2}$ millionum habuerint (3), et vi resistere vellent, quod, tunc temporis, aliae provinciae impediverunt, quae melius ducebant de novo pacto cum Gallis agere, ad quod iterum missus est legatus BORREEL, qui tamen nihil obtinuit.

Coaluit interea pax Westmonasteriensis (Westmunster), (4) anno 1654 inter Anglos et Gallos, quae, quamvis in illa etiam Belgae comprehenderentur, et Art. 15 cautum esset, ut navis libera onus suum liberum redderet, nihil ratione eorum immutavit; quod probat, antiquae amicitiae LUDOVICUM XIV immemorem fuisse et Belgas magis inimicos quam amicos duxisse, ut etiam mox apparuit ex novo vectigali 50 solidorum a quacunque nave, ratione habita numeri mediorum, solvendo (vat- of lastgeld), (5) fortasse ad exemplum

(1) AITZEMA o. l. 7. 30. 167.

(2) AITZEMA o. l. 7. 31. 497.

(3) WAGENAAR o. l. 11. 51. et AITZEMA o. l. 7. 31. 493. qui dicit: op Ettelijke Millioenen.

(4) DU MONT o. l. 2. 121.

(5) WAGENAAR o. l. 12. 380. Vide etiam LUSAC Holl. Rijkd. 4. 241.

celebris illius Anglorum Actus navigationis, editi anno 1652. Praeterea, anno 1656, de novo rex edixit: leges antiquas navales, praesertim annorum 1543 et 1584 vim habituras, ita ut adhuc regula valeret, »La robe d'ennemi confisque celle d'ami," erga omnes, Anglis, Hanseaticis, Venetiis, non vero Belgis exceptis (1), unde tantum damnum ortum, ut intra breve tempus, 328 naves Belgicae publicarentur (2). Belgae rursus questi sunt, nullo vero jure impetrato, se ipsos defendere decreverunt, et DE RUITER cum classe miserunt, qui Gallos cohiberet. Ille dux mox duas naves cepit, qua de re rex Galliae ita iratus est, ut omnia bona et merces Belgarum arresto detinere jusserit (3), et legatum de Thou Hagas, miserit, qui de navibus captis quereretur et restitutionem rogaret. Ordines Generales tamen, eas esse captas dum naves Belgarum depredabantur, responderunt, et ipsi conquesti sunt, quod nullum illis jus in Gallia dabatur, quare etiam omnem mercaturam cum Gallis vetuerunt, et bona ac litteras cambiales Gallorum detinuerunt (4). Magnae inde querelae, odia, offensiones ortae, imo belli metus, donec tandem, intercedente legato de Thou, hae lites, anno 1655, ad tempus compositae

(1) Vide Edictum apud AITZEMA o. l. 8. 36. 656.
(2) KLUIT Hist. foed. 1. 244.
(3) AITZEMA o. l. 8. 37. 790.
(4) AITZEMA o. l. 8. 37. 792 et 803.

sunt; Belgae naves captas reddiderunt, et legatus promisit, se suam interpositurum auctoritatem, ut justitia, de navibus et mercibus captis, daretur et retentio tolleretur, cum praeterea operam navaret ad novum pactum conficiendum, quod jam per Art. 1 pacti anni 1646 erat promissum; neque interea leges antiquae annorum 1543 et 1584 vigerent. Quae omnia ab Ordinibus Generalibus accepta, a LUDOVICO XIV per epistolam 9 Aug. anni 1655 sunt confirmata (1), cum pactum inter Galliam et urbes Hanseaticas initum, ad tres menses, et donec melius ea de re provisum foret (2), observaretur. Pactum ipsum rex directe confirmare noluit, ita ut solemne pactum revera non fuerit; ex quo apparet LUDOVICUM XIV magis necessitate ductum, quam benevolentia motum fuisse.

§ 1.

Pactum navigationis et commercii inter LUDOVICUM XIV *regem Galliae et urbes Hanseaticas, die* 10 *Maji anni* 1655, *initum* (3).

Ita breviter hoc pactum audit: Libera sit navigatio et commercium omnium mercium, quarum invectio

(1) AITZEMA o. l. 8. 37. 818 et 831.

(2) Et après, jusqu'à ce qu'autrement en aye été ordonné. Vide Lettre de l'ambassadeur DE THOU apud AITZEMA o. l. 8. 37. 835.

(3) DU MONT o. l. 6. 2. 103. Groot Plac. B. 2. 554. AITZEMA o. l. 8. 37. 826-831.

non sit prohibita, ne tamen contrahentes hostibus afferant quae ad bellum pertineant, vel frumenta in locos absessos; quod si fiat, naves ab illis arceantur et frumentum, pretio soluto, tradatur (1). Suspendantur in quindecim annos, leges annorum 1554 et 1584, ita ut navis amica onus suum liberum reddat (2); ne insint prohibita (contrebandes), quae ex antiquis legibus publicentur, non vero naves quae ea vehant, uti ab illis jubebatur (3), modo litteras in mare non dejiciant vel contra regem pugnent. Praefecti navium, qui prohibita invenerunt, ne aperiant dolia vel thecas (coffres, malles, balles, bougettes, tonneaux au autres caisses), vel merces alienent, quae tantum fiant, coram judicibus Archithalassicis, inventario facto; nec bona vendantur aut emantur, antequam legitima praeda (bonne et valable prise) sint declarata, quo casu, ii, a quibus capta sint, praeferantur (4).

De modo, quo naves mercatoriae ab armatis perquirerentur, eadem fere ratione, ac in Art, 3 et 4 pacti 1646, cavetur (5).

Hocce, quod magna pro parte cum pacto anni

(1) Art. 1 et 2.

(2) Art. 3. En sorte que la robe d'ennemi ne confisque point celle de l'ami.

(3) Elles seront confisquées purement et simplement, sans que les autres marchandises ni le vaisseau le puissent être.

(4) Art. 4 et 5.

(5) Art. 6. 7. 8.

1646 congruit, in eo imprimis profuit, quod per illud leges antiquae, quae tot malorum pepererant, vim per aliquod tempus amiserunt, unde rursus merces hostiles vehere licuit, ex regula: Libera navis, libera merx. Amicitia itaque cum rege est restituta et edicta ab utraque parte severa, prohibitoria sublata, quamvis LUDOVICUS XIV mox probaverit, se in rempublicam non valde propensum fuisse, qui eodem anno, invectionem pinguedinis balnearum (traan) prohibuit et privilegium dedit societati cuidam in Gallia, quae ipsa naves ad Septentrionem mitteret (1), in magnum detrimentum Belgaram, quorum mercatura et piscatura tali decreto quam maxime premebantur, quippe qui, quoquo anno, magnam quantitatem hujus mercis in Galliam adveherent (2).

Brevi post, anno 1659, edixit rex, ne naves peregrinae, in Galliae portubus, onera susciperent, priusquam incolarum naves jam essent oneratae (3), cum iis vecti-

(1) Vide AITZEMA o. l. 9. 37. 60. et quae legatus BORELL hac de re scripsit ibid. 9. 38. 218.

(2) Belgis etiam quam maxime nocuit bellum inter Gallos et Hispanos, cum numerus navium quae a Gallis, eas vetita vexisse causantibus, capiebantur, anno 1657, ad 300 computaretur. Vide LUSAC o. l. 4. 144.

(3) Dicit AITZEMA... Verbood het laden van vreemde schepen in de Fransche havens, zoo lang als de inlandsche ofte Fransche schepen hunne lading ofte vracht niet in hadden... zijnde zulks eene groote nieuwigheid, ende tot nadeel der vereenigde Nederlandsche commercie.

gal 5o solidorum, ratione magnitudinis navium (scheeps of lastgeld) imponeret, quae omnia quaeremonias Belgarum incitaverunt, ita ut Ordines Generales opinati, tale edictum mercaturae et navigationi valde nociturum, statim decreverint, ne aliquis onus in Gallia suscipiens, illud vectigal solveret, poena 3ooo florenorum, ac non diu post, ut omnes qui naves in Gallia onerarent, a portubus intercluderentur (1); utque LUDOVICUM XIV a decreto recedere cogerent, miserunt qui Anglis et Hanseaticis sese vectigali opponere, persuaderent, quod regem tam vehementer offendit, ut legatum miserit, qui Belgas minis moveret, ut a talibus sollicitationibus desisterent (2). Hisce commoti, Ordines Generales in Galliam tres viros delegaverunt, qui lites componerent et operam darent ad pactum, per Articulum I pacti anni 1646, et postea a legato de Thou, rege probante, promissum, conficiendum. Illi, primum morbo Cardinalis DE MAZARIN impediti, mox conati sunt antiqua pacta restituere, imprimis privilegia invocantes ab HENRICO IV concessa, quibus Belgae non uti peregrini, sed quasi ipsi incolae spectabantur (3), ac minati sunt Belgas portorium vini et ma-

(1) AITZEMA o. l. 9. 39. 643.

(2) Vide epistolam legati Gallici, apud AITZEMA o. l. 10. 40. 65. cujus ultima verba, ita sese habent: » Si directement ou indirectement vous persistéz a continuer ces sollicitations en Angleterre ou a Lubecq, il donnera aux votres les dernières marques de ressentiment et d'indignation, qui seront en son pouvoir.

(3) AITZEMA o. l. 10. 41. 3 et 40.

nufabricatarum Gallicarum impposituros (1). Quatuor vero difficultates praesertim obstabant: vectigal, privilegium societati, a rege concessum, cautio piscaturae, et restitutio quarumdam urbium; quae omnia bene accommodare, magna circumspectione et prudentia indigebat, unde non mirum, multum tempus in deliberando praeteriisse.

Belgae imprimis vectigal abolere volebant, quod, cum rex concedere nollit, diminuere studebant et proponebant:

1°. Ut solveretur tantum a navibus, quae e Gallia proficiscerentur, non autem ab illis quae advenirent.

2°. Ut ratio haberetur qualitatis et valoris mercium, non vero magnitudinis navium.

3°. Ut tantum in ultimis Galliae portubus, e quibus ad alias regiones navigaretur, solveretur, non vero in ceteris.

4°. Ut vectigal, pro dimidia vel tertia parte, de navibus sal, vinum vel alias merces majores (marchandises de gros volume) adferentibus, solveretur (2).

Quae omnia, Belgae ideo impetrare conati sunt, quia per vectigal impositum, merces minoris valoris tam carae fiebant, ut eas in Gallia cum lucro vendere, fere non possent, quum tantum ratio de magnitude navis, non vero de qualitate oneris, quod vehebat, habere-

---

(1) De wit, Brieven 1. 349.
(2) Aitzema o. l. 10. 41. 286.

tur, ex quo sequebatur, ut majorem mercedem de illis mercibus, quas ab uno ad alterum Galliae portum adducebant, exigere cogerentur, quum vectigal in ipsa mercede computare deberent; unde omne commodum, quod antea prae Gallis habuerunt, perdiderant, et quam maximum detrimentum huic navigationis generi illatum erat.

De illis quae proposita erant, rex tantum hoc concedit: ut vectigal modo a navibus e Gallia proficiscentibus, non vero ab illis ibi appellentibus, solveretur, ac diminuit portorium salis in dimidium; ab aliis desistere noluit, quamquam cautionem (garantie) piscaturae, invito Angliae rege, promiserit (1).

Multa autem, de his aliisque est dissertum, donec tandem legati de foedere convenerint, ex quo patet, ab una et altera parte quaedam fuisse concessa, quod LUDOVICUS XIV fortasse non fecisset, nisi timuisset, ne Belgae se arctius cum Hispanis jungerent, et ei in posterum obstarent (2).

---

(1) Vide AITZEMA l. l. et WAGENAAR Vad. Gesch. 13. 18 sqq. Magnam rex Brittaniae operam dederat ut LUDOVICO persuaderet, ne tale quid Belgis concederet. Fecit tamen rex Gallorum, necessitate quadam ductus, quamvis ipsum verbum *pèche*, foederi inserere noluerit, arbitratus se rem satis clare explicavisse dicentem, »et autres droits quelconques par terre et par mer."

(2) Belgae etiam foedus inire studebant, non tantum ob ipsam mercaturam, sed etiam propter imperii mutationem in Anglia, post mortem CROMWELLIS. Vide LUSAC o. l. 4. 145.

§ 2.

Foedus amicitiae, confoederationis, commercii et navigationis inter LUDOVICUM XIV *regem Galliae et* ORDINES GENERALES *Belgii foederati, initum 27 April. anni* 1662 (1).

Foedus illud, ut ex inscriptione statim apparet, multa complectitur, quae commode referri possunt, cum ad illa, quae de amicitia colenda et auxilio praestando, tum ad ea, quae de libera mercatura ac navigatione cavent, quibus nonnulla, de bonis naufragis, de Piratis profligandis, de Advocatis adhibendis, adduntur.

Argumentum foederis huc redit:

Quod ad amicitiam et auxilium praestandum: Auxilium sibi contrahentes ab utraque parte praestent, contra omnes, qui jura commercii, navigationis, piscaturae vel jure gentium vel pactis conventis permissa, quaesita vel quaerenda perturbent, propter quae, si ab uno bellum declaretur, idem faciat alter, rogante socio, intra quatuor menses, eum interea copiis et navibus sustentans, cum praeterea, alter socius milites congreget, naves aedificet vel locet, ut etiam apparatum bellicum, in alterius regione; quod hosti ne permittatur, salva libera mercatura gentis neutrius cum hoste, casu, quo ille unum sociorum adgrediatur. Cautionem se invi-

(1) Vide foedus apud o. l. AITZEMA 10. 42. 306. DU MONT o. l. 2. 412. Gr. Plac. B. 2. 2910.

cem praestent (1) contrahentes omnium foederum cum aliis populis initorum (2), nec fiant induciae, nisi ambobus consentientibus, nec pax sine inclusione alterius; ac si lites inter ipsos socios oriantur, componantur quam celerrime, sin vero bellum, detur mora sex mensium, inter quas bona et merces, cives, nullo impedimento allato, vendant vel transportent (3).

Quod ad navigationem et mercaturam tempore pacis: Nulla sit inter stipulantes hostilitas vel privata navium captura. Litterae represallorum antea datae, nullae sint nec in posterum dentur, nisi solo casu denegatae justitiae, de qua prius appareat (4). Neque cives vel subditi conveniantur pro debitis publicis (5).

Libera sit navigatio et mercatura per totam Europam et regiones subditas unius vel alterius, ac libera invectio omnium eorum, quae non sint prohibita, quaeque libere vendantur, transportentur; quod ne restringatur per privatas concessiones vel privilegia (privilège, octroi, au autre concession particulière), excepto tamen oleo balnearum, quod in prejudicium privilegii concessi societati Gallicae, ad tempus con-

---

(1) S'obligent de se garantir.

(2) Enumerantur haec foedera apud AITZEMA o. l. 10. 42. 337. etiam apud DU MONT o. l. 6. 2. 419.

(3) Vide Art. 1-15. 43 et 49. foed.

(4) Si ce n'est seulement en cas de manifeste deni de justice, qui ne pourra être tenu pour verifié, si la requête de celui qui demande les dites represailles n'est communiqué au ministre Art. 17.

(5) Art. 17. 18.

stitutum, ne vendatur (1), quum, quod ad alia vectigalia, solitis exceptis, non graviora (droits charges, gabelles ou impositions quelconques) solvant socii invicem, quam ipsi indigenae. Naves in portum unius vel alterius appellentes, ne cogantur onera deponere vel de mercibus solvere, nisi nauarchae volentes bona vel merces auferant, quae praeterea ne detineantur, quocunque colore, ne ob publicam quidem salutem, nisi consensu et pretio soluto, salvis tamen juris causis (2).

Bona naufraga restituantur dominis, qui ea intra annum et diem juste reclament, nihil solventibus, nisi pro auxilio praestito debita, (pour le droit de sauvement), et si non obtemperent cives, auctoritatem suam contrahentes interponant et eas ad restitutionem cogant (3). Ne accipiantur Pirati maritimi (Pirates ou forbans), sed profligentur, ac bona et merces dominis reddantur (4). Admittantur libere Advocati vel procuratores (Advocats, procureurs, notaires, solliciteurs), ac habeant cives utrimque libros mercaturae

---

(1) A l'exception seulement des huiles de baleines, que les sujets desdits seigneurs États Generaux ne pourront apporter et vendre en France au préjudice du privilège accordé à la compagnie établie pour la pêche des baleines et débits des dites huiles, tant que le temps porté par le dit privilège, dejà donné par le roi, durera cet. Art. 20.

(2) Art. 19. 20. 24 et 25.

(3) Art. 44.

(4) Art. 45.

et litterarum (les livres de leur trafic et correspondance) lingua, qua velint, mittantque Consules in commodum mercantium, qui juribus fruantur sibi debitis (1).

Quoad navigationem et mercaturam tempore belli: Nullae ab hoste accipiantur litterae represallorum (2). Naves armatae utrimque in portus intrent ac ibi maneant, non vero diutius quam necesse sit (3), causa praefecto loci (gouverneur desdites places) allata, etiamsi secum praedam, ab hoste captam, ducant, nullo vectigali soluto, nec perquisitione habita. Hostes cum praeda ne intrent in portum populi neutrius, nisi tempestate coacti, nec ibi capiant naves vel merces socii, semperque dimittantur quam citius (4). Libera sit mercatura et navigatio gentis neutrius cum hoste alterius, vetitis exceptis, quae in Art. 28 recensentur et quibus enumerantur omnia ad bellum pertinentia (5), non vero ad victum, quae hosti afferantur, modo non

---

(1) Art. 46 et 47.

(2) Art. 16.

(3) A la charge neamoins d'en user avec discrétion, et de ne donner aucun sujet de jalousie par une trop long séjour et affecté.

(4) Art. 21 et 22.

(5) En ce genre marchandises de contrebande, s'entend seulement être compris toutes sortes d'armes a feu, et autres assortiments d'icelles comme canons, mousquets, mortiers, pétards, bombes, grenades, saucisses, cercles poissés, affuts, fourchettes, bandoulières, poudre, mèches, salpêtre, balles, piques, épées, morions, casques, cuirasses, hallebardes, javelines, cheveaux, selles de cheval, fourreaux de pistolets, baudriers et autres assortiments servant a l'usage de la guerre. Art. 28.

in locos obsessos (1); quare, si naves Gallicae onera sua hosti advehentes in portum Belgii appellant, monstrent et ostendant litteras salvi commeatus (passeports), quae contineant quid vehant, unde et quo proficiscantur, signatas sigillo ordinario et recognitas a Praefecto Collegii Archithalassici loci, unde primum venerunt; sin vero veniant in regiones Belgis subditas et nolint intrare in portum vel deponere merces, non necesse sit de onere rationem reddere, nisi praesumtio adsit, eas merces vehere vetitas; quo casu, litteras ostendant, et si mari alto (en pleine mer), illis obviam veniant naves armatae, mittant hae, non propius quam ad jactum tormenti bellici (portée du canon) accedentes, scalam cum tribus viris, qui explorent et visant litteras maritimas et salvi commeatus (passeports et lettres de mer), ex quibus de onere et Praefecto navis appareat, quibusque fides sit adhibenda, formula postea danda, ad fraudem impediendam; res vetitae hoc modo repertae exonerentur, denuncientur et publicentur (dechargées, denoncées et confisquées), coram judicibus Archithalassicis, salva nave et

---

(1) Ne seront compris dans ce genre de marchandises, les fromens, blés et autres grains, légumes, huiles, vins, sel, ni généralement tout ce qui appartient à la nourriture et sustentation de la vie, mais demeureront libres comme autres marchandises et denrées non comprises en l'article précédent: et en sera le transport permis, même aux lieux ennemis desdits Seigneurs États, sauf aux villes et places assiégées bloquées, ou investies. Art. 29.

merce licita; nec Praefectus navis armatae talia inveniens, dolia, vasa, vel thecas (coffres, malles, balles, bougettes, tonneaux ou autres caisses) aperiat, transportet vel vendat, nisi inventario facto, judice presente, quae omnia ne fiant, merce vetita tradita ab ipso nauarcha, qui viam persequatur. Praeterea contrahentes curam praestent, ut omnia coram bonis et aequis judicibus, forma praescripta, agantur; sique legatus de sententiis latis queratur, illae inter tres menses examinentur, nec interea merces vendantur, et si recte judicatum videatur, sententiae vim habeant sub cautione, salva appellatione; utque de omni vi, in modo visitandi, caveatur, nauarchae et praedatores ab utraque parte cautionem praestent 15000 librarum (livres tournois), quibus in solidum, de damno illato, teneantur (1).

Omnia quae, quamvis non sint vetita, in navi hostili vehantur, publicentur; hostilia vero in navi amica, vetitis exceptis, libera sint (2). Quae omnia mutuo fiant.

Hisce constitutis, contrahentes declarant, se nullis pactis prohiberi, quominus hocce foedus in viginti quinque annos initum, bona fide observent, sique

---

(1) Et pour cette cause seront dorénavant les capitaines et armateurs obligés chacun d'eux, avant leur partement, de bailler caution bonne et solvable par devant les juges compétens de la somme de 15000 livres tournois, pour répondre chacun d'eux solidairement des malversations qu'il pourront commettre en leurs courses cet. Art. 38.

(2) Art. 26-42.

intra illud tempus, auxilia alterutri sint praestanda, foedus vim ad finem belli habiturum (1).

Sequuntur formulae litterarum, quae ex Art. 33 requiruntur, et actus jurisjurandi, quod praestari debetur, cum nonnulla de numero militum et navium et de modo quo bellum geratur, adduntur.

Praeterea, foederi adjungitur Articulus singularis de vectigali 50 solidorum (2), per quem receditur ab articulo 20, ex quo nihil aliud Belgis erat solvendum ac ipsis incolis, cum per illum iis injungitur vectigal 50 solidorum cujuscunque modii, quod navis ferre poterat, solvere, nisi hoc ex benevolentia regis mutaretur, qui quidem hic excepit, ut illud tantum a navibus Belgicis semel, e portu proficiscentibus, non ibi intrantibus, peteretur, et ut naves, sale oneratae, dimidium tantum vectigalis deberent.

Fuit hoc, quod libera republica, primum veri nominis cum Gallis pactum commercii et navigationis dici potest, cum ea, quae jam antea erant inita, nonnulla tantummodo privilegia concessa vel exceptiones ab antiquis Edictis continuerint. Disserui de illo paulo latius, quia fundamentum fuit omnium deinde sequentium et stipulandi norma, cum praeterea omnia, de quibus antiqua hujus generis pacta egerunt,

(1) Art. 50-52.

(2) Article separé touchant l'imposition de cinquante sols par tonneau sur les navires étrangers sortants des ports de France. Vide DU MONT o. l. 6. 2 418.

congreget et plurima iis addet, quibus melius de singulis cavetur; quod statim apparet ex modo quo genti neutri mercaturam facere licet, ex ratione qua vetita (contrebandes) publicantur, ex litteris represallorum, ex cautione a nauarcha praestanda (1) et ex multis aliis, de quibus priora pacta omnino silebant, ut: de bonis naufragis, de Advocatis, de Consulibus maritimis, de vectigali 50 solidorum, quod quidem hic non omnino abrogatur, sed tamen, ratione nonnullarum mercium, diminuitur. Ab antiquis vero pactis, in eo praesertim hoc pactum differt, quod per illud lex navalis HENRICI III anni 1584, a qua jam antea, anno 1646 et 1655, ad tempus erat recessum, poene extinguitur, ita ut navis amica onus suum liberum reddat (2), nec amplius regula valeat: »La robe d'ennemi confisque celle d'ami," quod gentibus neutris maxime prodresse omnes facile intelligunt, cum hoc modo, mercaturam cum ambobus bellantibus, nonnullis vetitis exceptis, gerere iis concedatur, quod antiqua Edicta semper vetuerant, quippe quae non tantum merces hostiles, sed et ipsam navem amicam eas vehentem publicari jusserant.

Foedere inito Belgae, qui totam vectigalis abrogationem petiverant, et non nisi diminutionem ex

(1) Cff. Art. 4. pact. 1646 et Art. 38. h. p.
(2) Ex regula: Vrij schip, vrij goed, Onvrij schip, onvrij goed: Gallice »Le navire couvre la cargaison."

regis benevolentia pendentem impetraverant, idem vectigal ac de illis exigebatur, navibus Gallicis imposuerunt per decretum (placaat) 4 Maji anni 1663 (1), quod mox locum dedit quaestioni, num solidi Gallici an Belgici essent solvendi; quae per novum decretum soluta est, quo statutum ut essent Gallici, quod discrimen effecit octo solidorum (2). Praeterea multae, ex modo quo utrimque vectigal nonnumquam postulabatur, controversiae exortae sunt, ut etiam de solutione illius ratione magnitudinis navium, ita ut Belgae anno 1664 iterum legatum miserint qui operam daret ut omnino extingueretur (3). Hoc vero non impetrato, cum rege convenerunt, ut ab utraque parte majorem adhiberent curam in modo vectigalis exigendi et ut naves metirentur (4).

Brevi post, novae lites exortae sunt de prohibita saponis cujusdam nigri (zwarte zeep) invectione, cum

(1) Vid. Gr. Plac. B. 2. 2021. his verbis: Soo is 't dat wij goed gevonden ende geresolveert hebben provisioneelijk te stellen, gelijk wij stellen bij dezen, gelijke bezwaernissen per vat scheeps op alle Fransche schepen de havens dezer landen frequenterende, om gheheven te worden in 't uitvaeren op dezelfde wijze ende maniere ook zoolang als de voorz. belastinge, op de schepen hier te lande te huis behorende, door orde van den Koning van Frankrijk gheheven wordt.

(2) Aitzema o. l. 10. 43. 774.

(3) Aitzema o. l. 10. 43. 904. Ende ernstiglijk te insteren als zijnde eene pure vexatie, daaruit ter wederzijde niet als continuele klagten stonden te rijzen ende te resulteren.

(4) Aitzema o. l. 10. 43. 922.

Galli, illi oleum balnearum inesse, contenderent, quod privilegio societati Gallicae concesso noceret (1); ex quibus omnibus multae mutationes, querelae, quibus singulis edictis modo provisum, modo non, quasque omnes enumerare longius esset, cum praeterea minoris momenti sint, quippe non ipsa pacta spectantes et mox quaestionibus gravioribus cedentes.

Mortuus erat PHILIPPUS IV rex Hispaniae, anno 1665, quod LUDOVICO XIV ansam praebuit exercitum mittendi ad Belgium Hispanicum oppugnandum, quem illi tradere Hispani noluerunt, quemque ad se pertinere rex contendit, nomine uxoris MARIAE THERESIAE, ex jure devolutionis, (2) quamvis antea omnibus juribus in illas regiones renunciaverat, pro dote debita, cum nunc cessionem illam nullam fuisse dixerit, quippe nec licitam, nec confirmatam, nec pecuniis promissis solutis (3). Belgae Gallorum vicinitatem timentes, cum Anglis et Suecis Foedus triplex (triple alliance) inierunt, quod mira celeritate, inter quatuor dies coaluit, et quo contrahentes sese obligaverunt ad pacem inter Gallos et Hispanos promovendam, qnae revera anno 1668 Aquis-

(1) AITZEMA o. l. 11. 45. 562.

(2) Vid. Dewez Hist. Gen. de la Belg. 6. 13. qui hoc loco, jus illud explicat, et probat id tantum bona privatorum, non vero successionem in imperium spectasse.

(3) Vid. D'ESTRADES, qui cum DE WIT hac de re egit, et eum probare conatur, contentionem regis justitia consentaneum esse Tom. 2. 274 sqq.

grano conciliata est (1). LUDOVICUS XIV invitus ad pacem coactus, rempublicam a foedere disjungere conatus est; quod cum efficere nequiret, Belgis imprimis infensus cum CAROLO II Angliae rege clam se conjunxit ad rempublicam subigendam et dividendam (2), unde evenit, ut mercaturam magna pro parte prohibuerit et tanta vectigalia imposuerit, ut ex tota navigatione in Galliam nullum fere Belgis lucrum emanaverit; quo commoti Ordines Generales, anno 1671 plurima edicta, quibus invectionem vini adusti (Brandewijn) et manufabricatarum vetabant, promulgaverunt (3), ac brevi post, Gallis adhuc majora exigentibus, invectionem vini, aceti, chartarum aliarumque mercium interdixerunt (4). E quibus, et ex odio antiquo, bellum imminuit, quod, quamvis Belgae legatum miserint, qui rixas componerent, anno 1672 a rege Galliae, nullis fere causis allatis, declaratum est (5). Omne nunc commercium rex prohibuit et ex Art. 6 foederis anni 1662, Belgis Galliam inhabitantibus intra sex menses cum bonis et mercibus proficisci permisit (6).

Duravit bellum per sex annos intra quos, anno 1675,

(1) WAGENAAR o. l. 13. 302 sqq. et ipsum foedus apud DU MONT 7. 1. 68.

(2) WAGENAAR o. l. 13. 419.

(3) Vid. varia, hac de re, edicta lata Gr. Plac. B. 3. 264. 268. 269.

(4) Gr. Plac. B. 3. 272.

(5) Rationes et belli causae erant, secuti scriptor Anglus Rapynus Thoyras dicit: »que le roi n'etait pas satisfait des Hollandais."

(6) Vid. edictum apud DU MONT o. l. 7. 1. 164.

amica transactione, civibus utrimque libera Halecum piscatura ad oras Belgicas et Gallicas usque ad Yarmout, concessa est (1).

Tandem vero, die 10 Aug. anni 1678, pax coaluit Neomagensis (2) cum stipulatione, *uti possidetis*, excepta urbe Mosa Trajecto (Maastricht) a rege reddita, in cujus foedere de navigatione et commercio non cavetur, nisi uno Articulo 15, ex quo, bello exorto, civibus licet, ad exemplum Art. 13 foederis anni 1662, intra sex menses cum mercibus proficisci, vel eas transportare. Eodem die quo pax conciliata est, novum navigationis et commercii pactum est initum.

§ 3.

Pactum commercii et navigationis inter LUDOVICUM XIV *Galliae regem et* ORDINES GENERALES *Belgii foederati, die* 10 *Aug. anni* 1678 *Neomagi, initum* (3).

Hoc pactum 38 Articulis constans, magna pro parte cum foed. anni 1662, convenit. Articuli enim 1 et 2 et 16 foed. anni 1662, Art. 4-21 et Art. 17-34, Art. 23-35

(1) Vid. Edictum apud HAUTERIVE o. I. 1. 2. 278. Jam anno 1521 inter FRANCISCUM I regem Galliae et CAROLUM V, regem Hispaniae, qua Belgarum principem, tale pactum erat initum, quo item convenerunt de libera, durante bello, halecum piscatura. Quod vide apud DU MONT o. l. 4. 1. 352.

(2) DU MONT o. l. l. 7. 1. 350.

(3) Vid. foedus apud DU MONT o. I. 7. 1. 357. et Gr. Plac. B. 3. 368.

et Art. 36-48 ad litteram fere, inter se congruunt (1). Exceptio vel potius additio Art. 3 et 22 adest (2), quibus statutum, ut quae post pacem initam (3), invicem caperentur in mari Baltico, vel Septentrioni a promontorio Terneuse in Norvegia ad exitum Canalis (la Manche) intra quatuor hebdomades, vel exinde ad promontorium S^{t}. Vincent intra sex, vel ab illo in mari Mediterraneo usque ad Aequatorem (la ligne) intra decem hebdomades, vel infra illum et ad omnes orbis terrarum partes intra octo menses, redderentur (4), quum praeterea regula: Libera navis, libera merx, navis hostilis, merx hostilis hoc modo extenderetur, ut quae, in navi hostili, merces amicae vel ante bellum, vel intra tempus memoratum, illatae essent, liberae manerent, vetitis exceptis, ac in navi amica et hostes ipsi, modo non milites, immunes essent. Bello vero inter contrahentes exorto, pro sex

(1) Art. 20 foed. anni 1662 et Art. 7 hujusce in eo tantum differunt, quod per primum non licuit oleum Balnearum invehere, donec tempus a rege Societati Gallicae concessum, esset praeteritum, in altero vero de illo non cavetur, sed talia privilegia civibus in detrimentum socii concedere vetatur, his verbis: Et sans qu'il soit permis à l'un ou à l'autre de conceder ou de faire à leurs sujets des imminutés, benefices, dons gratuits ou autres avantages par dessus ceux de l'autre ou à leur préjudice.

(2) Cf. Art. 35 foed. 1662.

(3) A compter depuis la publication de la présente.

(4) Eodem modo, iisdem verbis in ipso foedere pacis Art. 3 de hisce cavetur.

mensibus, novem darentur, inter quos civibus proficisci et merces transportare, liceret (1).

Initum est pactum, sicuti praecedens, in viginti quinque annos, cui adhuc Articulus adjungitur separatus de vectigali 50 solidorum, qui cum Articulo foederis anni 1662 verbotenus quadrat; ex quo apparet, regem Galliae, hac in re, Belgarum querelis non obtemperavisse, cum a vectigali recedere nollet quod quammaxime aerario publico prodesse contendebat, quamvis Belgae eadem oriera imposuerint, ut sic sibi damnum compensarent. Est etiam pacti illud singulare, quod, cum omnia, quibus antea de mercatura cautum sit, in foederibus pacis et confoederationis inter conditiones computarentur, primum est, quod tantum de sola navigatione et commercio agit; unde liquet tunc temporis, populos contrahentes mercaturam tam magni habuisse, ut separatim de illo convenire mallent, intelligentes regionis compendium, civium felicitatem in ea imprimis esse sitam.

Quum per pacem Neomagensem, quietem in Europa restitutum iri omnes sperarent, brevi post, spem illam LUDOVICUS XIV fefellit, qui jus sibi in Belgio Hispanico competere contendens, ab eo recedere noluit et jam anno 1683 eas regiones iterum vi adortus est.

---

(1) Vid. Art. 37. Mirum est quod in Art. 16 foederis pacis tantum sex conceduntur menses, quum hic tempus in novem sit dilatum.

Belgae foedere cum Hispanis juncti, illis, GULIELMO III imprimis adhortante, copias auxilium miserunt (1) et anno 1684 inducias vicennales inter populos bellantes promoverunt, qua propter et imprimis ob expeditionem GULIELMI III in Angliam, rex Galliae ira incensus, anno 1688 mercaturam pressit et bona ac merces Belgarum in Gallia arresto detinuit (2), quum jam praecedenti anno invectionem halecum, qui sale Gallico non erant conditi, prohibuerat (3), et multa de salutatione maritima et jure vexilli dissidia occurrerant, donec tandem anno 1688 bellum a LUDOVICO XIV Ordinibus Generalibus Belgii declaratum est, causa praesertim allata, quod Belgae copias contraxerant et regi obstare studuerant (4). Ordines his respondentes solemnem regi declarationem miserunt, qua se veras ac justas causas dolendi habere probabant et Gallis objiciebant, quod plena pace, naves ceperant et merces detinuerant contra pacta inita (5), quam ob causam mercaturam cum Gallis vetuerunt et socios certiores fecerunt, ne vetita, nempe ea quae ad bellum pertinent, Gallis adferrent, cum omnes naves

---

(1) Vid. WAGENAAR o. l. 15. 119 sqq.
(2) SYLVIUS verv. op Aitz. 3. 27. 163.
(3) SYLVIUS o. l. 3. 25. 185.
(4) Vid. DU MONT o. l. 7. 1. 212. ubi belli declaratio regis Galliae invenitur. Et quod ad historiam WAGENAAR o. l. 16. 3 sqq.
(5) Vid. declarationem illam Belgarum memorabilem, qua omnia late explicantur, apud DU MONT o. l. 7. 2. 213.

perquirerentur et merces repertae publicarentur (1); neque ipsi Belgae naves vel merces Gallicas assecurarent (verasseureren) (2).

Bello exorto, cum imperatore Austriae foedus quod *magnum* dictum, Belgae pepigerunt, cui se praeter Hispanos etiam Angli adjunxerunt, quibuscum praeterea singulare pactum est initum, quo conveniunt de prohibenda omni navigatione et commercio cum Gallis, non tantum ipsorum subditorum sed et omnium populorum exterorum, quorum naves huic non obtemperantes, publicarentur (3), cum etiam alio pacto, de navibus ab hoste recuperatis sociis reddendis, cautum sit (4).

Bellum itaque per totam fere Europam Occidentem, ad LUDOVICI XIV ambitionem restringendam et pacem Westphalicam et Pyrenaeam vindicandam, gestum est, donec, die 20 Sept. anni 1697, foedus coaluit Risvicense (5), quod generalem pacem restituit et in cujus

(1) Art. 2 et 3. belli decl.

(2) Art. 13.

(3) Vid. pactum illud apud DU MONT o. l. 7. 2. 238. quod, in quantum justum sit et generali juri Gentium Europaeo consentiat, difficile dictu.

(4) Vid. DU MONT o. l. 7. 2. 301. qui hoc foedus inter illa anni 1691 recenset, quod falsum esse docet Gr. Plc. B. 5. 395. quippe ad ea, quae anno 1689 coaluerunt, referendum.

(5) DU MONT o. l. 7. 2. 381. Argumentum hujus foederis parum ab illo, quod anno 1678 Neomagi coaluit, differt, nisi quod, cum ex illo valeret regula *uti possidetis*, per hocce omnia, utrimque intra et extra Europam ablata, restituantur. Praeterea WILHELMUM III regem magnae Brittanniae agnovit LUDOVICUM XIV, qui ex ipso bello vix quidquam, praeter gloriam abstulit.

Art. 3 et 14 nonnulla navigationem et mercaturam spectantia inveniuntur, quae Art. 3 et 37 pacti commercii Neomagi initi, ad litteram fere consentiunt.

Antequam vero ulterius progrediamur, mercaturae et legislationis maritimae progressus persequi, absque re non erit, quare, aetate peracta, illam cum priore comparemus et exinde videamus, quaenam vel addita vel emendata sint, ut hoc modo de singulis melius appareat.

Primum vero de ipsis pactis, quae hac aetate coaluerunt, hoc animadvertimus: plurima illa continere, de quibus priora aut minus accurate agebant, aut omnino silebant; quapropter, cum in fine capitis primi regulas enumeraverimus, quae ex vi quam pacta variis temporibus exercent, effluunt, optimum erit etiam illas quae hac aetate invaluerunt et magna pro parte ad jus Gentium Europaeum pertinere coeperunt (1), recensere, ut inde quibusnam in rebus invicem differant vel congruant, facile constet. Sunt summatim sequentes:

Tempore pacis. Gerunt populi ab utraque parte liberam mercaturam omnium eorum, quae nec legibus nec foederibus sunt vetita. Intrant naves mercatoriae portum socii. Non coguntur Nauarchae inviti onera deponere, vel de illis solvere. Nulla est privata na-

(1) De vario jure ex pactis exorto, vid. BYNKERSHOEK Quaest. jur. Publ. libr. 1. Cf. GROT. de jure bel. et pac. l. 3. c. 6.

vium captura nec vim habent litterae represallorum antea datae. Nulla privatorum bona detinentur pro debitis publicis. Subjecti sunt cives utrimque vectigalibus praescriptis. Habent naves mercatoriae semper secum litteras maritimas et salvi commeatus. Licet in alterius regione naves aedificare vel locare, et emere apparatum bellicum. Restituuntur bona naufraga intra annum et diem. Admittuntur Consules maritimi, Advocati et Procuratores. Habent populi libros commercii et litterarum, lingua, qua velint. Nulli accipiuntur piratae maritimi, et praeda ab illis capta redditur dominis.

Tempore belli, altero sociorum neutralitate gaudente. Nullae ab hoste accipuntur litterae represallorum. Intrant naves armatae portum socii; non vero hostes cum praeda. Nullae naves ab hoste capiuntur in portu. Libera est mercatura cum hoste; a qua excipiuntur merces vetitae, et quae ad victum pertinent in locos obsessos. Quaecunque vehuntur in navi amica etiam hostes ipsi, modo non milites, libera sunt; quae vero amica in navi hostili publicantur, nisi illata sint intra tempus, quo bellum ignorari potuit. Subjiciunt se naves mercatoriae perquisitioni navium armatarum, quarum Praefecti cautionem de non laedendo praestant. Nullae naves nec merces captae publicantur nec venduntur, nisi inventario facto, coram judicibus Archithalassicis. Omnes dirimuntur lites coram bonis et aequis judicibus, forma praescripta.

Tempore belli inter ipsos contrahentes. Novem dantur menses, intra quos civibus proficisci et merces ac bona transportare licet.

Ex illis jam statim apparet, jus maritimum hac aetate ad magnam pervenisse perfectionem, et antiquo hujus generis omnino praestitisse, ad quod etiam multum contulit Edictum vel potius Lex illa celebris a LUDOVICO XIV anno 1681 promulgata (1), qua de omnibus rebus navigationem, mercaturam et jurisdictionem maritimam spectantibus cavetur, quamque omnes fere populi normam et exemplum legum suarum maritimarum in posterum habuerunt. — Praeterea leges antiquae annorum 1543 et 1584, a quibus Belgarum ratione, nonnumquam recessum est, hac aetate poene abrogatae sunt per foedera inita, ac regula invaluit: Libera navis, libera merx, Navis hostilis, merx hostilis (Le navire couvre la cargaison); et, quamvis in celebri lege anni 1681 (2) adhuc regula antiqua: »La robe d'ennemi confisque la marchandise et le vaisseau ami", renovata sit, nullum ea effectum erga Belgas habuisse constat, cum et in pacto anni 1678 et anni 1697 abrogatur.

Mercatura etiam, hac aetate, cum Gallis ad maximum pervenit splendorem et in omni fere mercium

---

(1) Vid. de illa lege opus celebre: Nouveau commentaire sur l'Ordonnance de la marine de l'an 1681 par JOS. VALIN 4°. 1760.

(2) Vid. Tit. 11. Art. 7. legis navalis apud Recueil Gen. des anc. lois Franc, Tom. 19. pag. 283-366.

genere constabat, cum earum quae invehebantur tum illarum quae efferebantur, ita ut pretium eorum quae anno 1658 e Gallia vehebantur ad 35 vel 45 milliones computaretur (1).

Dissidia tamen hoc tempore de vectigali 50 solidorum cuicumque navi, ratione modiorum quae vehere poterat, imposito, orta plane non composita sunt, cum hac in re a regis benevolentia Belgae semper penderent, donec tandem omnino abolitum est.

Ceterum humanitati consentaneum est, quod per foedera statutum est, ut omnia quae caperentur, pace jam inita, redderentur, cum antea ignorantia et saepe ficta pacis ignorantia, occasionem praebuerat multis rixis de illis reddendis quae, prehensa erant.

---

(1) Vid. earum mercium enumerationem apud AITZEMA o. l. 9. 38. 210. et 10. 40. 305.

CAPUT TERTIUM.

PACTA MARITIMA ET RATIONES COMMERCII ET NAVIGATIONIS QUAE PATRIAE NOSTRAE CUM GALLIA INTERCESSERUNT, A PACE RISVICENSI AD PACEM AQUISGRANENSEM AB ANNO 1697-1748.

§ 1.

Pactum Commercii et navigationis inter LUDOVICUM XIV *regem Galliae et* ORDINES GENERALES *Belgii foederati, die 20 Sept. anni 1697 in pago Rijswijk, initum* (1).

Eodem die, quo pax coaluit Risvicensis novum commercii et navigationis pactum initum est, quod 45 Art. constans, magna pro parte, cum pacto anni 1678

(1) Vid. pactum apud DU MONT 7. 2. 386. et HAUTERIVE Recueil 2. 1. 299.

congruit, nimirum Art. 1-7 cum Art. 1-7 Art. 13-38 cum Art. 8-33 Art. 40-42 et 44 cum Art. 35-38 pacti anni 1678, ad verba quadrant. Nonnulla tamen de quibus priora foedera silebant, in commodum Belgarum huicce pacto adjuncta sunt. Quod ad illa, ita pactum statuit:

Belgae ne majorem solvant pecuniam ancoriam, aliamque (droit de contablie, d'encrage, de sol parisis), quam ipsi Galli, non vero cives locorum, ubi agitur (1). Libera sit Belgarum navigatio et mercatura per mare Mediterraneum (Commerce du levant) versus portus Galliae, nec, uti antea solebant, 20 pro 100 de mercibus solvant, nisi casu quo ipsi Galli ad hoc coguntur (2). Inferant ac vendant Belgae in Galliam et regiones subditas haleces, ac abrogentur Edicta quae hoc vetent, nominatim illud diei 14 Sept. anni 1687, quod illos advehere et vendere prohibet, nisi sale Gallico conditos et in aliis doliis compactos (3). Nulla

(1) Art. 8.

(2) Art. 9. Et que dans l'un ni l'autre cas lesdits sujets des États Généraux ne seront assujetis audits vingt pour cent, sinon dans les cas où les Français y sont sujets, portant des marchandises dans leurs propres vaisseaux à Marseille ou autres places permises cet.

(3) Art. 10. Il sera permis au sujets desdits États Généraux d'apporter, faire entrer et débiter en France et dans les pays conquis, librement et sans aucun empêchement du hareng salé, sans distinction et sans être sujets au rempacquement, et ce nonobstant tous édits, déclarations et arrêts du conseil à ce contraires, et

utrimque impedimenta ad Publicum (douane et bureaux) civibus opponantur (1). Nova fiat mercium matricula (tarif) intra tres menses, dum interea anni 1667, et postea, donec nova conficeretur anni 1664 matricula observaretur (2). Nulli admittantur Consules maritimi sed Legati, Agentes vel Conquesitores (Résidens, Agens, Commissaires), qui in sola Principis curia consideant (3). Nemo obstet pacto, praesertim Articulo 7, qui de libera mercatura agit (4).

Initum est pactum, aeque ac illud quod precedit, in viginti quinque annos (5), cui praeterea singularis adjungitur Articulus, quo vectigal 50 solidorum in posterum omnino abrogatur nec restitui poterit, ita ut Belgae a solutione illius immunes essent, hoc uno casu excepto, quum ab uno ad alterum Galliae portum merces veherent (6). Eodem modo ac in priore pacto, de navigatione et commercio esse cautum ex his patet, cum

---

nommément ceux du 15 Juillet et 14 Septembre 1687, portant défenses d'apporter ni de faire entrer dans les ports de France aux places conquises, du hareng autrement qu'en vracq et salé du sel de brouage, et qui ordonnent que le dit hareng sera apporté dans les ports de mer en vracq dans des barils, dont les dixhuit composeront douze de hareng pacqué, lesquels arrêts demeureront révoqués et annulés.

(1) Art. 11.

(2) Art. 12.

(3) Art. 39.... ils ne pourraient établir leurs demeures que dans les lieux de la résidence ordinaire de la cour.

(4) Art. 43.

(5) Art. 44.

(6) Article separé apud DU MONT o. l. 7. 2. 390. et HAUTERIVE o. l. 1. 2. 319.

plurima Belgis adhuc concessa sint, quae quam maxime proderant, uti est: abrogatio legis, quae invectionem halecum durissimis conditionibus adstrinxerat, libera navigatio per mare Mediterraneum ad portus Galliae, quae antea certis vectigalibus onerabatur hic abrogatis, antiquatio vectigalis illius 50 solidorum, quod tot tantaque mala pepererat. Praeterea mutatio inest in abrogandis Consulibus maritimis, in quorum locum alii nominantur, fortasse ut sic caveatur quaestionibus de eorum potestate saepe ortis. Ceterum nullum fuit antea pactum, quo tanta Belgis commoda sint stipulata, ad quae etiam pertinet promissa mercium matricula, quae confecta est die 29 Maji anni 1699 (1), et per quam vectigal solvendum, ratione mercium definitur. — Additur etiam pactum separatim inter regem Galliae et Ordines Generales initum, de mutua libertate piscandi haleces aliaque piscium genera, quo Praesidibus navium cives in illam perturbare interdicitur (2).

His omnibus ita constitutis, pax per totam fere Europam restituta est, quam ut servarent Angli et Belgae cum rege Galliae, cujus ambitionem timebant, anno 1697 et 1699 foedus pepigerunt, quo CAROLI II regis Hispaniae imperium dividebant, ne rege defuncto,

(1) DU MONT o. l. 7. 2. 462 et 473. ubi Belgae regem rogant, ne majora imponeret vectigalia in haleces, quam ex matricula anni 1664 exigebatur.

(2) DU MONT o. l. 7. 2. 394.

LUDOVICUS XIV sibi omnia ex antiqua contentione vindicaret. Rex Hispaniae brevi post mortuus, testamentum reliquit ex quo regis Galliae nepotem ex filio LUDOVICUM PHILIPPUM, totius successionis Hispaniae et omnium ditionum Belgicarum scripsit heredem (1). Quo testamento nixus LUDOVICUS XIV posthabitis partitionis foederibus, provincias Belgicas invasit, et hoc facto universam contra se concitavit Europam. Belgae enim cum Anglis et Imperatore Austriae sese foedere anno 1701 conjunxerunt, quo se obligabant ad imperatoris jura in imperium Hispanicum vindicanda et Anglis ac Belgis securitatem praestandum (2). Secuti sunt mox belli declarationes, in quibus Belgae regi objiciebant, quod mercaturae nocuerat et graviora imposuerat vectigalia quam stipulati erant (3). Anno, 1703 Anglis imprimis adhortantibus, omne commercium et litterarum acceptionem Ordines Generales cum Gallis prohibuerunt (4). Bellum interea primum felici, postea aequo Marte gestum est, cum tandem anno 1713 pax Trajectina coaluit (5), qua sancitum, ut regna Galliae et Hispaniae semper sejuncta

(1) HEEREN o. l. 1. 301 sqq. et WAGENAAR o. l. 17. 51.

(2) DU MONT o. l. 8. 1. 89.

(3) DU MONT o. l. 8. 1. 113. Hac in belle declaratione Belgae omnia enumerant, quae a rege Galliae contra foedera inita ac praesertim foedus partitionis anni 1699 perpetrata erant.

(4) Vide edicta varia hac de re lata Gr. Plac. B. 5 340, 341, 345, 369 cet.

(5) DU MONT o. l. 8. 1. 366.

manerent, nec ab uno eodemque Principe umquam regerentur, et Belgium Hispanicum a Provinciis initis Imperatori traderetur. Praeterea Articulis 20, 30, 32 statutum est navigationem et mercaturam fore liberam, nec litteras represallorum tempore belli datas valituras, salva actione ei competente in cujus commodum concessae essent. Pacta de navigatione et commercio in Hispaniam et Indiam Hispanicam eadem manerent, quae sub CAROLO II fuerant, nec regi liceret alia sibi stipulari. Subditi utrimque antiquis legibus et edictis de commercio subjecti essent. Articuli 3 et 36 plane consentiunt Articulis 3 et 41 pacti commercii, quod eodem die confectum est.

§ 2.

Pactum Navigationis et Commercii inter LUDOVICUM XIV *regem Galliae et* ORDINES GENERALES *Belgii Foederati die* 11 *Aprilis anni* 1713 *Ultrajecti initum* (1).

Pactum illud eadem verbotenus, quae Risvicense, continet, hoc uno excepto, quod per Art. 12 illius nova promittitur mercium matricula, quae confecta est anno 1699 et de qua, quippe non eadem commoda ac matricula anni 1664 afferente, ante pactum initum multum

(1) DU MONT o. l. 8. 1. 377. Gr. Plac. B. 5. 476.

dissertum est, quamvis in ipso pacto de illa non cautum. — Praeterea in idem temporis spatium ac praecedens, nempe viginti quinque annorum, initum est (1).

Pace et pacto commercii facto, per edictum diei 13 Maji ejusdem anni mercatura inter Gallos et Belgas restituta est (2), quae sine ullo fere impedimento gerebatur per tempus a pacto constitutum, unico quod per viginti quinque annos incolume mansit. Mercaturam interea satis magnam Belgae agebant, quamvis jam tunc classem, mercaturae propugnaculum, negligerent, quod effecit, ut ab eo inde tempore respublica sensim sensimque a pristina magnitudine decederit (3). Tempore, quod pactum definierat, praeterito, de novo egerunt Ordines Generales, quod anno 1739 coaluit.

§ 3.

Pactum navigationis et Commercii inter LUDOVICUM XV *regem Galliae et* ORDINES GENERALES *Belgii Foederati die* 21 *Dec. anni* 1739 *initum* (4).

Mutato verum ordine, pactum illud magna pro parte cum praecedenti, cujus renovatio est, congruit, ad litteram enim fere consentiunt Art. 1 hujus pacti cum Art.

(1) Additur etiam pacto Articulus singularis quod ad verba illi pacti anni 1667 congruit, quod vide apud DU MONT o. l. 8. 1. 382.

(2) DU MONT o. l. 8. 1. 385.

(3) Vide LUSAC o. l. 4. 162, 180 sqq. et 279.

(4) Gr. Plac. B. 6. 324. HAUTERIVE o. l. 2. 1. 345.

1 et 6 pacti anni 1713. Art. 2 et 3 cum Art. 7 et 8, Art. 4 cum Art. singulari de vectigali abrogato, Art. 5 cum Art. 9, Art. 8 cum Art. 11, Art. 9 cum Art. 10, Art. 10 et 11 cum Art. 12 et 13, Art. 13 cum Art. 5 et 16, Art. 12-27 cum Art. 15-30, Art. 30-32 cum Art. 31-33, Art. 33 cum Art. 2 et 4, Art. 34 et 35 cum Art. 35 et 36, Art. 36 cum Art. 39, Art. 37 cum Art. 14 Art. 38, cum Art. 37, Art. 39 cum Art. 34, Art. 40 cum Art. 38, Art. 41-43 cum Art. 40-42, Art. 46 et 47 cum Art. 43 et 44.

Quod ad alia, de quibus prioribus pactis non agitur, constituit pactum: Agant nauarchae et mercatores negotia per se ipsos, nec cogantur alias personas adhibere quam ipsi velint, ne illas quidem quae publica auctoritate admissae sint (1).

Inter nauarcham et nautas si controversiae vel lites de mercede solvendo (pour raison des salaires) aliave de causa oriantur, Magistratus loci jubeat reo actori scriptum tradere, quo promittat se de quaestione responsurum in patria reducem, seditione vero orta, naucham adjuvet (2). Naves ne subjectae sint decretis

---

(1) Il sera entièrement libre à tous les marchands, capitaines, maitres de vaisseaux et autres sujets des États Généraux dons tous les lieux de la France de traiter leurs affaires par eux mêmes, ou d'en charger qui bon leur semblera et ils ne seront tenus de se servir d'aucun interprête, courtier, facteur, ni autres personnes etablies à cet effet par autorité publique, ni de leur payer aucun solaire, pour declarer leurs navires cet.

(2) Art. 6 et 7.

generalibus vel singularibus (réglements generaux ou particuliers) alterutrius, sed libere proficiscantur, nec aliquid e nave detineatur, lite inter Collegia Archithalassica exorta (1). Observentur quaecunque hoc pacto constituta sint, nec obsint leges contrariae nominatim anni 1681, quae ceteroquin vim habeat. Mercium aut e solo, aut e fabricis, aut e commercio exortarum, inde a primo die Februarii anni sequentis, nullum aliud solvatur vectigal, quam illud quod per matriculam pacto adjunctam, statutum est (2).

Magna hoc ex pacto Belgis commoda exorta sunt, ita ut dolendum, quod per parvum tantum tempus vim exercuerit. Bello enim inter Galliam et MARIAM THERESIAM Austriacam orto, Belgae ex foederibus initis copias reginae auxilium miserunt(3), quod Gallos valde offendit, quibuscum praeterea lites exortae sunt de navibus ab Anglis in India captis et ab iis in portum Bataviae advectis, ac ibi Belgis venditis, cum Galli earum restitutionem rogarent, contendentes non licere ex Art. 10 pacti commercii anni 1739 naves ab hoste captas in portu socii accipere; quare quaestione de vi, quam pactum in India exerceret, mota, rex Galliae omnia Belgis per pactum anni 1739 privilegia concessa,

(1) Art. 28 et 29..... a l'occasion des contestations qui pourraient survenir entre les collèges des Amirautés desdits Seigneurs États.

(2) Vid. Art. 44 et 45. et matriculam ipsam in Gr. Plc. B. 6. 324, qua etiam jubetur ut merx semel perquisita ceterum sit immunis.

(3) Vid. HEEREN o. l. 403. et WAGENAAR o. l. 19. 403 et 459.

decreto diei 31 Oct. anni 1745 revocavit (1). Quo Belgae commoti legatos miserunt, qui res componerent et pacem inter bellantes promoverent; his vero multum promissum, nihil autem effectum, donec LUDOVICUS XV die 17 Aprilis anni 1747 Belgis declarationem miserit, qua eos certiores fecit se Belgium adgressurum (2). Ordines Generales nunc magna pro parte commercium cum Gallis prohibuerunt, et varia promulgaverunt edicta, quibus invectionem vini, vini adusti, omnium armorum, multarumque aliarum mercium vetuerunt ac praemia iis promiserunt, qui praedatores maritimos et naves armatas Gallorum adferrent (3), quod Gallis multas quamvis naves capientibus, valde obfuit, qui plurimas quotannis merces advehere solebant. Hoc inter alia contulit ad pacem promovendam, quae die 18 Oct. anni 1748 Aquisgrani inter Galliam, Angliam et Ordines Generales Belgii coaluit, cui mox etiam Hungariae regina accessit.

Peracta aetate, quibusnam in rebus quod ad navigationem et commercium praecedenti congruat vel ab illa differat, respiciamus. Statim jam apparet eadem ac in priore aetate principia vigere, eademque Belgis privilegia et commoda concessa esse, nonnullis mi-

---

(1) WAGENAAR o. l. 20. 20 sqq.
(2) WAGENAAR o. l. 20. 56 sqq
(3) WAGENAAR o. l. 20. 172 sqq. et varia edicta his de rebus promulgata apud Gr. Plac. B. 7. 473 sqq. 482 cet.

noris momenti exceptis, uti abrogatio Consulum maritimorum, quibus alii personae substituuntur, cum plurima nova, quae maxime proderant adduntur, quibus imprimis vectigal 50 solidorum per pactum Risvicense primum et per omnia deinde sequentia abolitum pertinet. Libera praeterea navigatio et mercatura ab Oriente per mare Mediterraneum versus Galliae portus conceditur, neque de mercibus 20 pro 100, uti antea, solvere Belgis incumbit, qui nullam majorem pecuniam ancoriam aliamve luere coguntur, quam ipsi incolae, et quibus omnia per se ipsos agere licet.

Edicta, quae liberam halecum invectionem anno 1687 prohibuerant, revocantur. Nova confecta est mercium matricula, neque ullae leges vel edicta his contraria, Belgarum ratione vim habent.

Omnia ea, quae per magnam illius partem vigebant, eam aetatem felicem Belgis reddebant, donec LUDOVICUS XV per unum Edictum die 31 Dec. anni 1745 latum, privilegia et commoda, pacto commercii anni 1789 praestita, revocavit et hoc modo omnia evertit, ita ut quae esset initio aetatis spes concepta mox evanesceret.

Omne igitur commercii et navigationis pacto abolito, ab eo inde tempore ab arbitrio unius alteriusve et pactis subitaneis pendebat respublica, de quibus sequenti aetate videbimus.

CAPUT QUARTUM.

PACTA MARITIMA ET RATIONES COMMERCII ET NAVIGATIONIS, QUAE PATRIAE NOSTRAE CUM GALLIA INTERCESSERUNT A PACE AQUISGRANENSI ANNO 1748 AD REIPUBLICAE INTERITUM ANNO 1806.

Statim post pacem initam, antiqua commercii et navigationis pacta renovare Belgae frustra conati sunt, cum Galli nihil aliud concederent nisi, quod omnia de quibus ratione mercaturae et navigationis foedera pacis Neomagensis et Risvicensis caverant, per Art. 3 hujus pacti confirmarentur (1), quae jam ibi recensuimus et breviter eo redeunt, ut libera quidem navigatio

(1) Vid. ipsum pacis Aquisgranensis foedus in opere Nederl. Mercurius anni 1748. p. 2. p. 222, cui conferantur Art. 20, 30, 32 et 36. pacis Ultrajectinae, Art. 14. pacis Risvicensis et Art. 15. pacis Neomagensis.

et mercatura esset, sed antiquis edictis et legibus subjecta, nec litterae represallorum antea datae valerent, salva actione eorum in quorum compendium esset concessae. — Plurima ideo privilegia revocata sunt, sicuti abrogatio vectigalis 50 solidorum, libera halecum invectio, multaque alia, ita ut Belgae rursus antiquis legibus et edictis tenerentur; quod quantum illis nocuerit ex sequentibus apparet. Attamen rex Galliae, Belgis urgentibus, eos anno 1749 a vectigali solvendo per tempus sex mensium liberavit et tributum de piscibus sale conditis diminuit (1).

Bello vero inter Angliam et Galliam de Americae possessionibus anno 1756 orto, (2) utroque populo opem et amicitiam Belgarum petente, rex Galliae eos iterum excepit a solvendo vectigali 50 solidorum et ex piscibus salitis vectigal *f* 12 ad *f* 10 imminuit (3).

Belgae vero neutram partem sequentes magnum damnum ab Anglis passi sunt, quippe qui omnes naves mercibus vetitis oneratas et in Galliam navigantes, publicaverunt contra pactum anno 1674 initum, quo merces tantum vetitae non aliae, nec naves publicarentur (4), quod effecit ut mercatus cum Gallia magna

---

(1) WAGENAAR o. l. 20. 335.
(2) Vid. HEEREN o. l. 2. 428.
(3) Vid. KLUIT o. l. 1. 251. qui de praecedenti concessione anni 1749 nullam mentionem facit, neque WAGENAAR de illa anni 1756.
(4) Vid. Verv. op WAGENAAR 22. 259 sqq. quod ad historiam et ipsius foederis anni 1674 Art. 2–7 apud DU MONT o. l. 8. 1. 282.

pro parte suppressa sit, quamvis LUDOVICUS XV liberam halecum invectionem, olim ex Art. 9 pacti anni 1739 debitam, Belgis anno 1758 permiserit (1) et majorem benevolentiam quam Angli adhibuerit, qui omnes fere naves ligno navibus parandis idoneo oneratas ceperunt, quamquam ex pactis initis talia afferre licebat (2).

Tandem vero, ad magnam reipublicae felicitatem, cui bellum cum Anglis imminere videbatur, pax inter bellantes die 10 Febr. anni 1763 coaluit, Belgis quam maxime gaudentibus, quorum mercatura per Anglorum rapinas plurima damna acceperat, quamvis ambobus belligerantibus inter alias merces multas attulissent vetitas, inter quas imprimis ingens quantitas pyrii pulveris et tormentorum bellicorum et Gallis et Anglis advecta, enumeranda est (3).

(1) KLUIT o. l. 1. 251. et Verv. op WAGENAAR 22. 456. et 23. 76. Attamen Galli hanc concessionem anno 1783 iterum revocaverunt.

(2) Vid. pacti anni 1674 Art. 3 et 4. ubi merces vetitae et licitae recensentur et quibus sub illis quas afferre licet computantur: »funes, vela, et anchorae, mali item navales ut et asseres, tabulae et trabes ex quibusdam arboribus, omnia alia ad naves sese construendas seu reficiendas comparata." Attamen anno 1756 ab Anglis plurimae naves captae sunt, quod mercatorum Belgicorum querelas incitavit, qui hac de re libellum supplicem Gubernanti (Gouvernante) Annae tradiderunt, quo detrimenta ab Anglis illata enumerant et auxilium ab illa petunt ad classem instruendam et Anglos cogendos, ut a depraedationibus desisterent. Vid. WAGENAAR o. l. 22. 399 sqq. et VAN KAMPEN Verk. Gesch. der Ned. 2. 271.

(3) Uno anno 1756 in Galliam 300,000 libras tormenti bellici (ijzer kanon) et 100,000 libras pyrii pulveris advexerunt et in Angliam 7000 arma (geweren), cui etiam anno 1757, 140,000 libras pyrii pulveris attulerunt, vid. Ned. Jaarboeken anni 1759 pag. 1041 sqq.

Per tredecim annos sequentes Belgarum mercatura, cui bellum imprimis faverat, pace vigente non diminuta est, donec bello inter Anglos et Colonias Americanas de libertate earum anno 1775 exorto etiam Galli et Hispani se immiscuerint, anno 1778 civitatem novam constitutam liberam agnoscentes et foedus cum illis pangentes; unde novum iterum bellum inter Galliam et Angliam exortum (1), quod mox locum dedit multis Anglorum praedationibus, qui non tantum naves mercibus vetitis onustas, sed et plurimas alias, inter quas imprimis omnes lignum navibus parandis idoneum in Galliam advehentes, ceperunt et contra vim et litteram pactorum publicaverunt (2), quo mercatura cum Gallis pro magna parte deleta est, cum naves armatae Anglorum mercatorias reipublicae ab oris averterent (3). Belgis vero iterum neutram partem sequentibus, rex Galliae die 26 Julii anni 1778 edictum de commercio gentium neutrarum promulgavit (4) quo, per Art. 1 ab antiquo rigore pro parte decessit et statuit, ut neutris populis liceret navigare et mercaturam cum hoste facere, dummodo vetita non adveherent, nec

---

(1) HEEREN o. l. 2. 496 sqq.

(2) Quod contra pacta inita fuisse jam in praecedente bello vidimus.

(3) Vid. querelae Amstelaedamensium de illis praedationibus apud Verv. op WAGENAAR o. l. 25. 202, ubi omnia damna ab Anglis navigationi et commercio illata enumerantur.

(4) Vid. Edictum illud apud MARTENS Recueil 3. 18. et Recueil Gen. d. anc. l. Franc. 25. 366.

victum ferrent in locos obsessos; quod si fieret, non naves ipsae sed merces quas veherent, publicarentur, nisi tot inessent ut tres quartas partes valoris continerent, quo casu navigia, apparatus, merces, legitima praeda esset; sin autem litteras in mari dejecissent, naves cum mercibus publicarentur (1). Nec navibus Gallorum armatis liceret naves capere gentium neutrarum e portubus Galliae navigantes (2). — Edictum illud, quod ad mercaturam, Belgis parum profuit, cum Angli a rapinis non desisterent et quantum in illis erat, commercium cum Gallis et Americanis prohiberent, unde de novo questi sunt Belgae, quibus rex Angliae respondit, se curam adhibiturum, ne naves onera licita vehentes caperentur, se tamen necessitate ductum invectionem materiei navalis in Galliam prohibere, quia hoc modo Gallis nimis faveretur, sibique noceretur; quare monebat, ne Ordines Generales conductum navibus tali materie navali onustis praestarent (3). Assentitae sunt Provinciae, invita urbe Amstelaedamo, et decreto diei 19 Nov. anni 1778, mercatores certiores fecerunt in posterum navibus materiem majorem navalem (4) vehentibus nullum publicum conductum (convoy) praes-

(1) Art. 3.
(2) Art. 12.
(3) Wagenaar o. l. 25. 238 sqq.
(4) Distinguebant Belgae inter graviora ligna et materiem minoris momenti.

titum iri (1). Quod edictum rex Galliae aegre ferens, monebat ut Belgae tamquam populus liber, hoc in bello neuter, sui juris memores essent et Anglis non cederent quod sibi ipsis ex pactis initis competebat (2).

Huic Ordines Generales repondebant, se prudentia motos et necessitate ductos, ne omnem mercaturam Angli everterent, edictum fecisse, quod de novo confirmabant. Hocce responso sibi non satisfecisse, Belgis per legatum suum LUDOVICUS XVI nunciabat et minabatur, se omnia Belgis privilegia et commoda concessa revocaturum, nisi Belgae petioni suae, de libera navium cujusvis generis commeatu, morem gererent; cui cum illi non sat cito obtemperarent, rex Galliae die 14 Jan. anni 1779 edictum promulgavit, quo omnia commoda per Art. 1 edicti anni 1778 gentibus neutris concessa, revocavit, excepta urbe Amstelaedamo (3) et Belgas edicto die 21 Oct. anni 1744 de commercio populorum neutrorum lato, subjecit (4), quo inter alia merces hostiles navi

(1) WAGENAAR o. l. 25. 243 sqq. Frisii etiam de decreto questi sunt, qui ipsi 2000 naves habuerunt pro magna parte lignum, trabes et tales merces vehentes WAGENAAR o. l. ib. 253 sqq.

(2) Vid. WAGENAAR o. l. 257 sqq. et omnia late enarrata apud Ned. Jaarb. anni 1779. 85. 130 sqq.

(3) Vid. Recueil des anc. l. Franc. Tom. 26. 10.

(4) Veut en consequence sa Majesté que les Articles 1. 2. 3. 4 et 5. du réglement du 31 Octobre soient provisoirement executés à l'egard des batiments de la dite republique.

Quod Edictum die 21 Octob. anni 1744 latum videatur apud Recueil gen. 22. 175. cujus Art. 1-5., statuunt, quod libera esset

amica vectae publicarentur contra regulam: Libera navis, libera merx. — Hoc edicto commoti Ordines Generales prius decretum anni 1779 de non conducendis navibus materie navali onustis suspenderunt, quo tamen neque contentus rex die 27 Aprilis 1779 novam mercium matriculam confecit, ex qua Belgae *f* 15 per singula centena supra solita vectigalia penderent; a quibus autem urbes Harlemum et Amstelaedamum et brevi post totam Hollandiam excepit, dummodo a sententia de navibus conducendis non discederent (1). Quae omnia Belgarum animos, praesertim illorum qui exceptione facta non fruebantur, incenderunt et internam reipublicae discordiam promoverunt, quum hi Anglorum, illi Gallorum partes sequerentur; ex quo controversiae eo graviores exortae, quo magis desiderium liberiore mercatura fruendi aderat. — Tandem vero die 3 Nov. ejusdem anni Ordines Generales, mercatoribus acriter instantibus, decreverunt de publico navium conductu illimitato (onbepaalde convoijen), exceptis navibus materie ad naves construendas idonea

---

mercatura gentis neutrius cum hoste regis, modo non vehant onera vetita vel merces e productione terrae vel e fabricis hostium exorta (du cru au fabrique), quo casu merces non vero naves publicarentur, quod etiam obtineret de mercibus hostilibus nave neutra advectis.

Plurima talia regis Galliae Edicta de commercio gentium neutrarum extant, praesertim annorum 1694 et 1704, quae inveniuntur in opere Recueil gen. 20. 213. 452 cet.

(1) Kluit o. l. 1. 267 sqq.

onustis (1), quod valde Anglos offendit, qui praeterea non desistebant ab auxilio contra Gallos rogando; quod cum Belgae negaverant, solemni Edicto antiqua foedera praesertim anni 1780 revocaverunt et se Belgarum jura quodad navigationem et mercaturam non amplius agnituros declaraverunt, cum e contrario Galli edicta prohibitoria anni praecedentis revocaverint. Ex quibus omnibus bellum cum Anglis imminere videbatur; quod ut averterent Belgae sese Neutralitati armatae, quam Russorum Imperatrix obtulerat, quaque inter se Russi, Dani, Sueci (2) convenerant de regula servanda: »Libera navis, Libera merx," frustra adjungere conabantur, bello die 20 Dec. anni 1780 ab Anglis declarato (3), causa allata, quod Belgae foedera dissolverant nullum auxilium contra Gallos praestantes et ipsi cum Americanis foedus inire studuerant, cujus privata consilia et litterae inter mercatorem quemdam et Presidem Americanum, casu fortuito in Anglorum potestatem inciderant (4). — A spe sese Neutralitati armatae adjungendi destituti, Belgae ad Gallos se convertebant et cum illis die 1 Maji anni 1781 pactum de navibus ab hoste recuperatis inierunt.

---

(1) Vide Ned. Jaarb. anni 1779. 1353 et 1780. 438. 597 sqq.

(2) Huic neutralitati armatae etiam se postea Borussi, Austriaci et Lusitani adjunxerunt.

(3) Heeren o. l. 2. 509 et 510.

(4) Kluit 1. 271.

§ 1.

Pactum inter LUDOVICUM XVI *regem Galliae et* ORDINES GENERALES *Belgii Foederati de navibus ab hoste recuperatis die* 1 *Maji anni* 1781 *Versalia (Versailles) initum* (1).

Pactum illud, de modo agit quo naves ab hoste captae, a sociis recuperatae redderentur, qua de re distinctio fit inter naves praedatores et naves armatas civitatis.

Quod ad casum, quo naves a praedatoribus recuperarentur, constituitur: ut socio tertiam partem valoris navis, oneris et apparatus solventi, omnia redderentur, modo non diutius viginti quatuor horis in hostium potestate fuissent; post illud tempus omnia praedatori (l'armateur repreneur) pertinerent.

Quod ad alterum casum cavetur: ut naves, quae ab armata civitatis navi ab hoste intra viginti quatuor horas recuperarentur, domino trecesimam tantum valoris partem, mercium, navis, apparatus solventi traderentur; quo tempore praeterlapso, decimam partem totius valoris domini luerent, quae pecuniae inter nautas navis civitatis dividerentur, cum omnes lites exortae a judi-

(1) Convention entre le roi tres Chretien et les Provinces unies des Pays-bas concernant les reprises, vid. MARTENS o. l. 3. 340. et HAUTERIVE Recueil 1. 370.

cibus Archithalassicis (Officiers de l'Amirauté) dirimerentur (1). Liceret porro navibus armatis et praedatoribus libere in portus alterutrius intrare et ibi merces captas et praedam vendere, quae secundum leges populi capientis judicarentur, cum contrahentes ipsi suam rationem agendi quod ad naves captas dirigerent (2).

Pacto illo, quo ne verbo quidem de mutuo auxilio contra Anglos praestando convenitur, arctius tamen vinculam inter rempublicam et Galliam contraxit, ambobus populis eodem bello pressis; unde, quamvis nullum confoederationis foedus extaret, tamen communi quodam consensu res gerebatur, in magnum sane Belgarum compendium, qui nullas fere copias et parvam classem habebant qua Anglis resisterent, quique die 25 Martis anni 1782 regi Galliae solemniter declarabant, se non nisi communi auxilio et consensu acturos, donec de communi opera convenisset, quod idem etiam rex Galliae pollicitus est (3). Interea magnum damnum reipublicae ab Anglis illatum est, qui per breve tempus plures quam quingentas naves ceperunt, quo fere tota mercatura deleta est (4) et respublica,

(1) Art. 1. 2 et 3.

(2) Art. 4 et 5. Il sera libre a sa Majesté très Chretienne, ainsi qu'aux Seigneurs États Généraux, de faire tels règlements qu'ils aviseront bons être relativement à la conduite qu'auront à tenir leurs vaisseaux et armateurs respectifs à l'égard des batiments qu'ils auront pris et amenés dans un des ports des deux dominations.

(3) Kluit o. l. 1. 253. et Ned. Jaarb. anni 1782. 452 sqq.

(4) Mercatura hoc tempore fere tota ruit, ita ut Ordines Generales naves mercatorias vetarent e portu proficisci, antequam classis ades-

quae antea cum ipsis Anglis de maris dominio certaverat, a benevolentia Gallorum, qui eam defenderent, pendebat. Per ipsum etiam bellum internae discordiae magis magisque incensae sunt et ipse Princeps (stadhouder) accusatus, quod Anglis faveret, quo nullum fere vigorem civitas habebat, et omnia in diem in pejus ruebant.

Attamen Ordines Generales cum Gallis de commercii et navigationis pacto agebant, quod autem male successit, cum interea rex Galliae sibi ipsi praesertim consulens, pacem cum Anglis, die 3 Sept. anni 1783, inierit (1), quae etiam anno sequente 20 Maji 1784, Gallis moderantibus, Belgis contigit (2).

Neque tamen pace inita, respublica requievit, praeter interna incendia litibus cum JOSEPHO II Imperatore Austriae exortis, quae vero mox die 5 Nov. anni 1785, intercedente rege Galliae, pacatae sunt. Biduo post, foedus mutuae defensionis et auxilii, de quo jam antea egerant Belgae, cum Gallis coaluit (3).

---

set quae eas conduceret. Anno etiam 1781 non, nisi undecim naves per Oresundam navigabant, cum anno praecedenti 1780, 2058 per eam merces vexerant. VAN KAMPEN o. l. 2. 300.

(1) MARTENS o. l. 3, 519.

(2) Ibid. 560.

(3) HEEREN o. l. 2. 582-586.

§ 2.

Foedus mutuae defensionis atque auxilii inter LUDOVICUM XVI *regem Galliae et* ORDINES GENERALES *Belgii Foederati die* 8 *Nov. anni* 1785 *initum* (1).

Multa de amicitia et mutuo auxilio praestando, hoc foedus complectitur, perpauca vero de navigatione et commercio, quae ita se habent: Cautionem utrimque contrahentes sibi praestent de maris libertate servanda secundum regulam: Libera navis, libera merx," salvis tamen Articulis 19 et 20 pacti anni 1713 (2). Gaudeant cives et subditi ab una et altera parte iis privilegiis, quod ad mercaturam, quibus populus, cui maxima commoda sint concessa, donec de commercii per pactum conveniatur (3).

Foedere inita, illorum factio qui inimici Principi (stadhouder) novum rerum ordinem in republica constituere volebant, praevaluit, quo GULIELMUS V a paternis dignitatibus destitutus, mox vero anno 1787 a Borussis vi restitutus est (4). Brevi post, anno 1789,

(1) Vid. foedus apud MARTENS o. l. 4. 65.

(2) Art. 8. Elles se garantiront mutuellement la liberté des mers conformement au principe qui veut que le pavillon ami sauve la marchandise ennemie, sauf toute fois les exceptions énoncées dans les Art. 19 et 20. du traité de commerce signé à Utrecht 11 Avril 1713. Qui articuli 19 et 20 merces definiunt vetitas et licitas.

(3) Art. 13.... relativement au commerce et à la navigation comme la nation la plus favorisée.

(4) Vid. quod ad Historiam HEEREN o. l. l. l. VAN KAMPEN o. l. 2. 320 sqq.

omnia in Gallia mutata sunt, bellum Austriacis indictum, LUDOVICUS XVI ab ipso suo populo occisus, et, fremente Europa, nova constituta respublica, quae regi Angliae et Belgarum Principi die 1 Febr. anni 1793 bellum declaravit, cum per decretum 1 Martii ejusdem anni omnia confoederationis et commercii foedera antiquata sint (1), atque constitutum, ut omnes merces Anglorum aliorumque hostium publicarentur, nonnullis exceptis inprimis ad naves ornandas idoneis, quum gentibus neutris illas merces afferre liceret quae non essent prohibitae (2).

Non diu post, die 21 Sept. ejusdem anni, Galli legem ediderunt navalem, qua omnes merces ab aliis navibus quam a Gallicis allatas prohibuerunt (3). Interea Belgae infelici marte pugnaverunt et multas clades acceperunt, ita ut Princeps Arausiacus in Angliam effugere coactus sit (4), quo omnia in republica perturbata sunt et nova constituta est civitas, quae die 26 April. anni 1795 cum Gallis foedus Hagis pepigit (5), quo respublica Batava libera agnita, confoederatio mutua ad finem belli cum ad defensionem tum ad offensionem imprimis contra Anglos inita, mercatura et navigatio

(1) Touts traités d'alliance ou de commerce existans entre l'ancien gouvernement Francais et puissances avec les quelles la republique est en guerre sont annulés.
(2) Vid. MARTENS o. l. 6. 444. ac Art. 2. 6 et 8.
(3) MARTENS o. l. 6. 338.
(4) VAN KAMPEN o. l. 2. 413.
(5) MARTENS o. l. 6. 532.

Rheni, Mosae, Scaldis libera utrimque relicta, Flandria a Belgis cessa, et portus Flessinghae ambobus contrahentibus communis declaratus est, cum Belgae 25,000 Gallorum milites alerent et sustinerent.

Foedus illud in Belgarum dedecus et damnum confectum, tamen laete ab illis acceptum est, qui veram libertatem et felicitatem exinde emanaturam putarent; quae vero spes mox falsa apparuit, bello ab Anglis indicto, qui plurimas naves ceperunt, multas colonias expugnaverunt et anno 1799 totam classem sibi vindicaverunt (1).

Attamen die 27 Martis anni 1802 pax inter Gallos, Belgas et Anglos coaluit(2), quae Belgarum navigationi et mercaturae ita profuit, ut hoc anno plurimae naves per Oceanum navigarent et antiquum splendorem revicturum spes adesset, quam novum bellum anno 1803 exortum penitus evertit, quum Angli naves Belgicas pace tutas caperent et mercaturam plane delerent (3).

Respublica, ab una parte ab Anglis vexata, ab altera Gallorum vi premebatur, ita ut non nisi species libertatis adhuc fulgeret, cum civitas revera sub Gallorum potestate esset, quod mox apparuit e mutata

(1) VAN KAMPEN o. l. 413–438. et HEEREN o. l. 2. 603 sqq.

(2) Nullam fere mercaturam sub patriae vexillum Belgae amplius gerebant, ita ut anno 1796 una tantum navis per Oresundam navigaret cum anno 1790 ibi 2200 merces vexerant. Vid. VAN KAMPEN o. l. 2. 426. qui, hoc loco citat BUSCH Welthandel S. 729.

(3) VAN KAMPEN o. l. 450–452.

regiminis forma (1), cum BONAPARTE die 5 Junii anni 1806 ipsos Belgas LUDOVICUM fratrem suum regem petere coëgit. Quod cum fecissent, Respublica quae per 227 annos steterat, deleta est et nova imperii constitutio superioris ruinae superstructa (2).

Talis exitus reipublicae fuit quae tantum habuerat splendorem, quae tot populorum invidiam incitaverat. Fortis fuit illi juventus, debilis et inanis senectus et suo exemplo docuit auream esse regulam: Concordia res parvae crescunt, discordia maximae dilabuntur.

More nostro, hanc aetatem recenseamus et tristem comparationem cum praecedente instituamus. — Nullum navigationis et commercii pactum cum Gallis hac aetate confectum est (3), ita ut omnia, quibus de his rebus caveatur, in singulis edictis et foederibus confoederationis quaerenda sint, quae modo edita, modo revocata nullam vim efficacem habebant. Attamen Americanis et Anglis bellum gerentibus, mercatura, imprimis cum Gallia et America, cum lucro gerebatur; ad magnam vero prosperitatem annis 1763—1776 pace regnante, commercium perveniebat, quod quidem bello exorto diminuebatur, non vero delebatur,

(1) VAN KAMPEN o. l. 454 sqq.
(2) HEEREN o. l. 2. 704.
(3) Ultimum commercii et navigationis pactum cum Gallis anno 1739 initum est, cujus renovatio saepe promissa non vero effecta, donec tandem, diu post, anno 1841 novum pactum confectum est, quo omnia ad meliorem ordinem redacta sunt, quodque vid. in Staatsblad 1841. N°. 23.

cum Galli edictum, quo gentium neutralitate gaudentium mercaturae quam maxime favebant, anno 1778 ederent, ac insignis quantitas materiei navibus ornandis idoneae in Galliam a Belgis inferretur. Praeterea anno 1781 cum Gallis pactum inibatur de navibus ab hoste captis, a socio recuperatis, quo eodem fere modo, nonnullis mutatis, ac in prioribus pactis statuitur. Regula etiam »Libera navis, libera merx," magna pro parte per eam aetatem vigebat, etsi ab illa anno 1744 a rege recessum sit.

Ipsa vero mercatura cum Gallia, quamvis ratione praecedentis aetatis diminuta, tamen etiam per annos 1787, 1788, 1789 floruit, uti patet ex ingenti diversarum mercium exportatione et importatione, quarum praetium ad multos miliones computabatur (1).

Ceterum, hac aetate, mercatura quotidie decrescebat, Coloniae plurimae ab Anglis captae et maxima impedimenta a praedatoribus navigationi illata sunt, quamvis anno 1802 vana species pristinae gloriae eluceret, donec tandem tota fere ruerit ut paucis annis post rursus exsurgeret.

---

(1) Hac de re vid. CHAPTAL in opere: De l'industrie Française Tom. I. pag. 80 sqq., qui hoc loco diversa mercium genera enumerat et valorem earum, quae a Belgis in Galliam invehebantur, viginti vel quadraginta milionum, earumque quae exportabantur octo vel decem milionum aestimat.

THESES.

I.

Minus recta Labeonis et Proculi sententia est, apud Gajum L. 2 § 231, qui putant tutorem ex testamento dari posse ante heredis institutionem.

II.

Conciliari possunt leges 2 Cod. *quae sit longa cons:* et 32. Dig. *de legg. SCtis et long. cons.*

III.

In lege 2 D. de div. temp. praesc. pro *pleraeque* legendum *peraeque*, et in tota quaestione inter tempus conventionale ac legitimum distinguendum.

IV.

In lege 4 D. *de agnosc. et alend. liber.* vox *causa* delenda est.

V.

Verba Art. 90 C. C. B. legis rationi repugnant.

VI.

Abundat Art. 1213 C. C. B.

VII.

Possunt heredes, si ille qui in testamenti factione testis adfuerit, ex eodem testamento legatarius est, petere ut testamentum nullum declaretur, vel omnibus consentientibus, non praestare legatum.

VIII.

Art. 953 C. C. B. praestat Art. 909 C. N.

IX.

Valent testamenta olographica sub lege Gallica confecta, etiamsi post tempus, Art. 49 *legis nostrae de transitu anni* 1838 requisitum, notario tradita sint, dummodo fiat modo lege nostra praescripto.

X.

Abundat Art. 1990. C. C. B.

XI.

Art. 116. N°. 7. C. C. B. ejusdem Art. N°. 3. verba: *of de curatelen uit dien hoofde verzocht* addi debuissent.

XII.

Legato liberationis debiti continetur id, quod ex fidejussione solvendum est.

XIII.

Nulla pugna est inter 240 et 245. Cod. B. de Meth. proc. in reb. civ.

XIV.

Omnia foedera de tradendis criminum auctoribus, cum exteris populis inita, secundum nostram legem fundamentalem illegitima sunt.

XV.

Jus fisco ex Art. 33 C. C. G. competens, etiam nunc post confectum Art. 57. leg. Fund. Gallicae viget.

XVI.

Regulam probo »Libera navis, libera merx, navis hostilis, merx hostilis."

XVII.

Magna vectigalia importationi imposita, civitati nocent.

XVIII.

Bellum ipsum, quod Majores nostri cum Hispanis gerebant, mercaturae quam maxime favit.

XIX.

Majores nostri pacem Monasteriensem separatim a Gallis ineuntes, contra verba et fidem foederum egerunt.

XX.

Ratio, qua LUDOVICUS XIV nomine uxoris MARIAE THERESIAE imperium Belgii Hispanici sibi competere contendit, nullo jure nitebatur.